Commentarii in Exercitia spiritualia
S. P. IGNATII DE LOYOLA.

APPROBATIO ORDINARII.

Egregium opus, cui titulus : *Commentarii seu Explanationes in Exercitia spiritualia S. Ignatii*, a *P. Achille Gagliardi S. J.* conscripti, nunc primum integri in lucem editi, curante *C. Van Aken*, ejusdem Societatis presbytero, typis mandari libentissime permittimus.

Brugis, in festo S. Thomae Aquin. 1882.

✠ J. J. Episc. Brugen.

Commentarii seu Explanationes in Exercitia spiritualia

Sancti Patris Ignatii de Loyola,

a P. ACHILLE GAGLIARDI, e Societate Jesu, olim conscripti; nunc primum integri in lucem editi, curante CONSTANTINO VAN AKEN, ejusdem Societatis presbytero.

ALMA COL... 60,132 LIBRARY Alma California

Brugis, Sumptibus et Typis Societatis *SANCTI AUGUSTINI*, DESCLÉE, DE BROUWER ET SOC.

MDCCCLXXXII.

40028

Facultas A. R. P. Praepositi Generalis Societatis Jesu.

QUUM *opus, cui titulus:* Commentarii seu Explanationes in Exercitia spiritualia, *auctore P. Achille Gagliardi S. J., idiomate latino conscriptum, aliqui ejusdem Societatis theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint et in lucem edi posse probaverint; facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur.*

In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas et sigillo Societatis nostrae munitas dedimus.

Fesulis, die 28 decembris 1881.

Petrus BECKX,
Praep. Gen. Soc. Jesu.

PRAEFATIO EDITORIS.

JAMDUDUM *peroptabant e Societate* JESU *non pauci, ut Commentarii in Exercitia spiritualia S. Ignatii, a P. Achille Gagliardi ante hos fere trecentos annos conscripti, ad communem utilitatem in lucem prodire tandem permitterentur. Quod R. P. Joanni Roothaan, Societatis quondam Praeposito generali, in votis fuisse novimus. Hic enim, Exercitiorum spiritualium et ipse egregius interpres, paucis ante obitum annis, ab antiquo exemplari has explanationes describendas et prelo parandas designaverat; sed quum, aliis distentus negotiis, consilium illud suum exequi minime posset, explanationem in regulas quae juvent ad discernendos varios spiritus, anno 1851 Neapoli excudi jussit.*

Quam editionem quo animo susceperint spiritualis vitae magistri, vel id unum demonstrat, quod non ita multo post, exemplaria quae petentibus traderentur, superfuerint nulla.

Cum igitur, paucis abhinc mensibus, horum Commentariorum librum nactus essem, ex autographo fideliter, non sine mendis tamen, descriptum, ad opus statim me accinxi, ut editionem illorum integram et, quoad fieri posset, emendatam concinnarem.

De operis excellentia et de auctoris praestantia nihil opus est praefari: utrumque enim satis notum est. Pauca tamen quae sequuntur, de

Achillis Gagliardi vita et scriptis haud ingrata fore legentibus existimo.

Achilles Gagliardus, natione Italus, patria Patavinus,... Societatem ingressus est anno salutis 1559, cum aetate, nobilitate, opibus, humanarum literarum cognitione floreret... Graviores disciplinas, philosophicas nimirum et divinas, excoluit atque etiam explicavit nostro in Collegio Romano acute et pererudite ;... insignisque philosophus et theologus est habitus. Tum Roma, superiorum jussu, primum Patavium deinde Mediolanum commigravit ; utrobique sacram Theologiam interpretatus est.

Inde ad agendi regendique munus evocatus, Taurini multos annos Collegio praefuit ; post Mediolani et Venetiis, in utraque Professorum domo ; ad extremum sexennio Brixiae Rector. Quibus in muneribus ea edidit exempla caritatis et humanitatis in Socios, zeli et sollicitudinis in exteros, studii in Societatem, qua spiritualibus, qua litterariis exercitationibus amplificandam, ut nihil illi ad optimum superiorum nostrorum exemplar defuerit. Singularis fuit in illo animi morumque candor, quo subditis summam erga se fiduciam faciebat...

Interim indefessam quoque operam proximis praestabat. Spiritualibus Exercitiis plurimos omnis conditionis, aetatis, sexus, semper instituit... Ad extremum Mutinam delatus, morbum diuturnum totos duodeviginti menses aequo

animo sustinuit... Tandem, vi mali oppressus, animam exhalavit pridie nonas julias, anno Domini 1607, aetatis 70, ex quibus 48 vixerat in Societate ; ante annos 32 solemnia quatuor vota professus. Multa tot inter occupationes scripsit quae singularem praeferunt sensum pietatis ; inter quae edita typis sunt :

1° *Catechismus* italice compositus, hortatu s. Card. Caroli Borromaei Archiepiscopi Mediolanensis, Mediolani excusus 1584 in IV° typis Michaelis Tini. Multum opera P. Achillis usus est s. Carolus postremis vitae suae annis eumque in visitatione Dioecesis suae comitem sibi adscivit, prout in s. Caroli vita refert Ioannes Petrus Giussanus.

2° *Compendium Christianae perfectionis continens praxim uniendi animam cum Deo.* Opusculum vere aureum, excusum Brixiae typis Francisci Marchetti, anno 1611, recusum Neapoli anno 1614, tandem latinitate donatum prodiit Viennae Austriae 1633 typis Michaelis Rictii, et iterum ibidem 1648 (1).

3° *De plena cognitione Instituti...* Namurci 1841.

4° *S. P. Ignatii de Loyola de discretione spirituum regulae explanatae.* Neapoli 1851.

In tabulario Societatis recondita servantur alia scripta nonnulla P. Achillis Gagliardi ;

1. *Bibliotheca scriptorum Societatis* JESU. cfr. *Bibliothèque des écrivains de la Compagnie de* JÉSUS par les RR. PP. De Backer.

quae inter eminet liber in folio cui titulus: De interiori disciplina, *ad quem in hisce Commentariis passim remittit auctor. Verum opus illud eruditissimum, in quo, praeter alia multa, explanantur regulae S. Ignatii de scrupulis, de eleemosynis, de victu temperando, necnon* ad sentiendum sicut debemus in Ecclesia militante, *in hac rerum publicarum perturbatione, nec facile reperiri, nec omnino describi potest eo fine ut typis edatur. Interim, ipso auctore teste, habemus in his Explanationibus, totius tractationis de interiori disciplina veluti compendium quoddam facillimum atque brevissimum.*

Quia tamen non sine divinae Providentiae nutu factum esse videtur ut liber tot inter temporum vices ab interitu servaretur, inanem nemo dixerit spem nostram fore ut brevi, remotis impedimentis, praecipuum Patris Gagliardi scriptum in lucem emittere liceat (1).

Scribebam Gandae, Januario mense, anno MDCCCLXXXII.

1. Postquam haec ad typographum missa sunt, accepi libellum saeculo XVI° exeunte, vel XVII° ineunte, eleganti manu exaratum, qui inscribitur : PRAXIS CULTUS INTERNI, *auctore P. Achille Gagliardi, Societatis Jesu Theologo. Scribebat Mediolani, cum Domus erat Praepositus, anno 1590. — Domus Societatis Jesu Mediol. catalogo inscript.* 8° pp. 98. Quoniam vero ibidem appellantur *Commentarii in Exercitia*, patet ante annum reparatae salutis 1590 hos esse conscriptos. Novus ille libellus, in Bibliothecis scriptorum Societatis hactenus non commemoratur.

PROOEMIUM.

§ I. — *Liber Exercitiorum.*

LIBER Exercitiorum spiritualium S. Patris Ignatii plene praescribit, quidquid ad interiorem animarum cultum pertinet : idque in modum non solum disciplinae, ordine nimirum ac methodo convenienti ; sed etiam sapientiae, ex primis ac summis principiis evidenti quadam ratione omnia deducendo ; addita quotidiana praxi, eaque accommodata ad expurgandum animum a peccatis, et illuminandum usque ad summum omnium virtutum gradum in quocumque hominum statu et in quacumque vocatione divina, ad quam aut cognoscendam atque sequendam, iis qui determinatum statum nondum habent ; aut reformandam, iis qui in ea errarunt, praecepta aptissima tradit.

Elucet autem in hoc libello tota S. Patris Ignatii sanctitas, quam a Spiritu Sancto acceptam in eo expressit ; inde per reflexionem internam spiritus, et externam multorum annorum experientiam, libellum ipsum dictavit; primos illos Patres peperit ; Societatem fundavit ; plurimos alios a peccatis ad viam salutis tum perfectionis in variis statibus traduxit ; Constitutiones eodem spiritu, et potissimum per regulas electionis composuit ; praecepit Patres Societatis in eisdem Exercitiis et faciendis et dandis familiarissime

versari ; ut per ea et qui in ea vivunt, ad virtutum culmen perveniant, et proximos ad hoc idem juvent ; quod factum est hucusque in plurimis per totum orbem, et fieri quotidie perspicimus. Unde merito Sedes apostolica, instinctu Spiritus Sancti, a quo regitur impulsa, libellum eumdem approbavit summopere, et fidelibus commendavit.

Cum autem certum sit S. Patrem Ignatium summa in eo usum fuisse brevitate, et multa obscura, et difficilia, quasi quaedam aphorismata in eodem contineri, et, cum ad omnes hominum status accommodari possit, expresse tàm pauca admodum explicasse, reliqua prudentiae legentis, vel Exercitia tradentis commisisse : hincque sequi grave periculum erroris, si vel Exercitia solum paucis tradantur, vel si omnibus dentur, sed eadem formula, quam pro paucis tantum praescribit ; mediaque via sit tenenda, ut in eo quod omnibus commune est statibus idem servetur ; in applicatione autem proprii status varie, pro varietate ipsa statuum, exhibeantur ; idque difficile sit et experientiam ac prudentiam non mediocrem requirat,operae pretium esse duximus, haec omnia perspicue declarare, ut in usum ac praxim eam, ad quam instituta sunt, deduci possint ad majorem Dei gloriam, et animarum salutem et perfectionem ; potissimum vero in eum finem, ut Nostri, qui scilicet de Societate sunt, in hoc armorum spiritualium genere tractando dexteritatem illam habeant, quam ipse S. Pater Ignatius in Constitutionibus optat, atque praescribit.

§ II. — *Peritia adhibenda ad librum Exercitiorum intelligendum.*

CONTINET divinus hic libellus praecepta tam foecunda virtute, ut in illis plurima lateant, quae, studio et solertia sunt inde eruenda, sicuti ex aphorismis Hippocratis medici fecerunt: stylo autem simplici ac demisso alta comprehendit, licet aliquando stylum etiam elevet sed raro.

Perpendenda sunt fere singula verba, et significata eorum summa diligentia, ut sensus eliciantur plurimi ac reconditi.

Modus eruendi quae latent, imprimis, ut plurimum, est a simili, seu proportione, ut exempli gratia, quae praescribit in prima hebdomada de purgatione a peccatis mortalibus, valent ad purgationem et odium peccatorum etiam venialium et omnium defectuum sive excessuum circa animi passiones.

Examina similiter possunt extendi ad omnes defectus, quoquo modo commissos, quamvis in libello quibusdam tantum accommodentur.

Quae in secunda hebdomada traduntur ad electionem status, valent ad quamcunque electionem emendationis vitae et acquisitionis virtutum.

Quae regulae traduntur de temperando victu et de distribuendis eleemosynis, extendi possunt et debent ad indagandum medium in omnibus virtutibus moralibus, et alia ejusmodi multa.

In titulis ipsis aliquando docet, ut, exempli

gratia, in titulo annotationum, et clarius in eo qui initio Exercitiorum est affixus, totam vim ac energiam exercitii spiritualis explicat, quatenus distinguitur ab alia quacumque simplici oratione.

Similiter, et in exemplis ; ut cum varia consolationum exempla proponit, in illis tres consolationum species explicat ; cum daemonem modo mulieri, modo belli duci comparat, daemonis qualitates optime exprimit.

Ex generalibus multa particularia sequuntur, quae tamquam ex principiis conclusiones deducuntur ; ut in materia de tentationibus expugnandis, de passionum victoria, de discretione spirituum, et sic de aliis.

Dum aliquid tractat ex instituto, obiter saepe modo practico alia insinuat, ut in primo exercitio rationem et actus orationis, similiter in variis colloquiis ; in tribus etiam modis orandi comprehendit alios modos omnes qui inde ex declaratione illorum possunt deduci.

Alte et profunde ita omnia tradit, quae summum perfectionis terminum attingunt, ut ea simul capacitati singulorum esse accommodanda praecipiat.

Principia fere omnia ac dogmata totius interioris disciplinae tradit ; summam diligentiam, et in dante, et in recipiente requirit ; in applicatione vero, quae doctrina spiritualis potest appellari, omnia fere Exercitia ipsius dantis prudentiae committit.

Rem aliquando miscet cum modo eam exe-

quendi ; quae ita distinguenda sunt inter se, ut cum res ipsa omnibus conveniat, modus non item : servata eadem re, modus alius aliis accommodatus tradendus sit ; exempli gratia, examen particularis defectus est summi momenti pro omnibus ; at modus per lineas illas tam exactus, in scrupulosis, aut aliis qui memoria aut imaginatione non pollent, est inutilis, immo et perniciosus. Utantur igitur hi eodem examine modo illis utiliore.

Ratio tradendi praecepta in libello nullum habere ordinem videtur, quasi casu procederet ; attamen est ordinatissima quoad praxim ; nam, incipiendo a primis principiis conversionis animae ad Deum, cum eodem progressu, quo solet promoveri usque ad perfectionem, suaviter et paulatim suis quaeque locis praecepta propria tradit. Theoria autem ipsa, studio et solertia juvante, ex eadem praxi colligenda est.

DE ORATIONE.

IN Exercitiis spiritualibus S. Pater Ignatius praetendit nihil aliud quam inducere animum ad eliciendum propositum firmum et efficax declinandi ab omni malo, et opere implendi omne bonum ad salutem et perfectionem spectans. Hoc autem comprehendit totum hominem, totam vitam et omnes ejus actiones, ut eas emendet ac informet, totamque et integram spiritualem animae perfectionem.

Duo media potissima in hunc finem traduntur : oratio, scilicet, ut per eam a Deo id impetretur, atque in ea propositum congruum formetur ; et examen, ut interdiu opere complendo quod proposuit homo, reflexionem in ipsum opus faciat, illudque, sua industria, praeveniente ac juvante gratia, perficiat. Quamvis autem in libello Exercitiorum non agatur ex instituto de oratione deque ipsius arte, de qua multi alii tractarunt, tamen, quae ad perfectissimam praxim ac methodum orandi pertinent, absolutissima quadam peritia docet ; et hoc imprimis explicaturi sumus.

Certum est enim ea quae ad orationem spectant a S. Patre Ignatio dividi in tres partes, scilicet in praeparationem, meditationem, et colloquium; quod licet non dicatur verbis expressis, sed clarissime factis, id est in ipsis formulis orandi habetur, quae vocat *Exercitia*. Nam primo ponit *orationem praeparatoriam cum praeludiis ;* ergo requirit praeparationem : deinde tradit puncta meditandi, semper notando *primum punctum*, *tum secundum*, *tertium etc.*, et hoc ut ea ordine meditemur ; ergo post praeparationem sequitur meditatio : tertio *colloquium* in fine, ut variis actibus affectus in illo exerceatur.

De his tribus partibus et de earum praxi, dicemus suo ordine, id est quomodo perfecte quaelibet earum sit explenda et exercenda ; et haec omnia ex eodem libello, in quo perfectissime traduntur.

Caput j.— De praeparatione ad orationem.

PLURIMI facit S. P. Ignatius, ut ante orationem nos ad eam bene praeparemus ; et de hac praeparatione multa ordinate et exquisite praescribit :

§ I. — *Pium desiderium.*

PRIMUM omnium ante meditationem desiderium ejus requirit, et hoc quale ab ipso disertis verbis describitur :

Mirum in modum, inquit, *juvatur qui suscipit Exercitia, si magno animo atque liberali accedens, totum studium et arbitrium suum offerat suo Creatori* etc., quae sequuntur (1). Desiderium imprimis efficax impetrandi a Domino et consequendi donum orationis requirit illis verbis.

2° Deinde propositum applicandi se summo studio, et incumbendi huic operi, ut homo sic divinae gratiae cooperetur.

3° Demum ut hoc propositum ac studium suum totum liberalissime Deo offerat ; quo pacto sit animus paratus ac dispositus ad suscipiendos influxus illos divinos, qui ad orandum animum illuminant et accendunt.

§ II. — *Animi collectio praevia.*

PRAEPARATIO haec in eo consistit, ut impedimenta tollantur ; quae omnia ad unum reducuntur, nempe ad animi distractionem, quam ex quotidiana

1. Annot. 5.

occupatione in negotiis mundi contrahimus, ob idque contemplationi intenti esse non facile possumus: est autem unicum remedium animi interna collectio; ideo multa tradit S. P. Ignatius (1) de secessu, ac solitudine, consulitque ut se quisque recipiat in locum, in quo secedat ab aliis et subtrahat sese ab omni negotio. *Tanto enim*, inquit, *majorem faciet progressum spiritualis vitae, quanto magis ab amicis sese abduxerit* (2); et hoc etiam patet ex tribus rationibus, seu fructibus hujus secessus, ibidem allatis, et potissimum ex secundo ac tertio.

Est igitur secunda haec praeparatio illa, quae iis verbis describitur: *Collecta redactaque omni cogitatione ad rem unam, scilicet ad obsequendum Deo Creatori suo, multo liberius et expeditius utitur anima naturae viribus in quaerendo eo quod desiderat tantopere:* tum paulo post: *Aptiorem seipsum reddit ad quaerendum, attingendumque Creatorem et Dominum suum* (3). Hanc autem internam collectionem ut inducat, S. P. Ignatius praescribit multa, quae externa et corporalia sunt, scilicet: *recessum ab omni convictu et negotio, receptum in cubiculum suum separatum, clausuram lucis, oculorum demissionem*, et similia; quae, si fieri possint, optima sunt; si tamen intelligamus eo scopo haec esse facienda ut animum interne colligamus. Quod si justas ob causas omittantur, loco eorum alia, eaque interna illis correspondentia, assumamus, scilicet recessum animi, internam solitudinem, ac receptum intra cellam interioris hominis, clausuram sensuum ac passionum, in iis quae immoderata sunt, et similia. Ex hac autem animi collectione oritur pax et tranquillitas illa animi, quae aptissima est praeparatio ad orationem.

1. Annot. 20. — 2. Ibid. — 3. Ibid.

§ III. — *Praeparatio magis propinqua.*

PROPIUS accedendo ad actum ipsum orationis praescribit S.P. Ignatius quaedam alia, quae praemitti debent, et majorem habent vim ad praeparandum animum. Quorum primum est, ut *post cubitum ante somnum modico temporis spatio cogitem de hora, qua mihi surgendum erit, et de Exercitio faciendo* (1), ut orem, et, elevato animo in Deum, petam gratiam excutiendi somnum, et evigilandi hora debita, ac memoriam habendi eorum, quae debeo meditari ad majorem Dei gloriam. Secundum, ut *excitatus a somno statim rejectis omnibus aliis cogitationibus animum intendam in id quod sum contemplaturus* (2) ; ad quod conferre multum existimat, si ad puncta certo numero praefinita redigam ea quae sum meditaturus, ut statim, nullo negotio, possim ante orationem ea comminisci. Tertium est ut, dum vestes induo, exemplo aliquo rei sensibilis excitem me ac praeparem ad affectum illum, quem postea per orationem sum in me excitaturus (3) ; ut, si quaeratur confusio peccatorum vel dolor, sumam exempla, quae ponuntur ab eodem S. P. Ignatio accommodata exercitiis de peccatis, quibus similia in aliis materiis sunt adhibenda, vel saltem quaedam communia, quae me tum ad orandi sollicitudinem, tum ad submissionem et pietatem promoveant : vel psalmum aliquem aut versiculum recitem, quae haec aut similia contineat. Nam quidquid tunc mente revolvam, quo ferar in Deum, satis erit ad hanc praeparationem ; quamquam eo aptius erit, quo cum materia orationis futurae majorem similitudinem habuerit.

1. 1ae Hebdom. addit. 1a. — Ex autographo... *Cogitem de hora qua surgendum mihi erit, Exercitii faciendi puncta breviter animo retractans.*
2. Add. 2. — 3. Ibid.

§ IV. — *Praeparatio proxima.*

PROXIMA autem praeparatio illa est, quae paulo ante tempus orandi praemittitur, quae haec tria ordine continet :

PRIMO. *Ut quo ferar, quo tendam*, seu, ut alibi dicit, *quo mihi accedendum sit*, et *quid faciendum sit* breviter, sed cum maxima efficacia, et attentione perpendam. Et quoniam clarum est, orationem esse illud opus, quo feror, quo tendo, et quod est mihi faciendum, clare etiam colligitur, antequam accedamus ad orandum, probe esse intelligendum quid sit oratio, et quid in ea praetendamus, et in singulis ejus partibus : et propterea in prima annotatione S. P. Ignatius explicat, quid sint Exercitia, quo tendant, et alia ejusmodi, ut inde intelligamus eum, qui orationi operam est daturus, prius instruendum esse de ea et de singulis ejus partibus, ut in tanto negotio non casu procedat ; sed rei momentum et gravitatem perpendat.

Instructio autem haec ex dictis, et aliis, quae dicemus, facile colligi poterit. Interim, quod requiritur ad explicandum hanc praeparationem, cum proxime ad orandum accedit, est, ut recordetur, et animo revolvat orationem nihil aliud esse quam *unionem per colloquium et consortium cum Deo*, ut inde consequatur dona ad salutem et perfectionem suam et aliorum spectantia : magnaque ob id animi attentione et reverentia, tamquam ad negotium in se gravissimum, sibique utilissimum, cum Deo ipso tractandum, accedat.

SECUNDO. In illis verbis, *coram quo sum apparituru*s(1) et clarius in aliis, considerem Dominum meum JESUM et praesentem et spectantem quidnam acturus sim, *cui*

1. Hebd. 2, Notand. 5. — Hebd. 3, Not. 3.

reverentiam cum humili gestu exhibere debeam. Quibus verbis significatur actus praeparationis, a quo orationis momentum et fructus omnino dependent.

Primo. Igitur necesse est ut de Deo et divina Majestate altissime sentiat; et considerando se cum Deo mox colloquium et consortium habiturum, ea, qua decet, animi submissione ac timore accedat: secus enim inconsiderate ac temere ageret.

Secundo. Intelligat et perpendat esse Deum infinitam sapientiam, bonitatem, potentiam, et pelagus immensum infinitarum perfectionum; esse eum, qui ex nihilo totum mundum mera sua liberalitate creavit, sustinet ne in nihilum ruat, providentia gubernat, qua usque ad foliorum, arenarum, guttarum pluviae, ac capillorum numerum descendit. Advertat coram tanta Majestate totam mundi machinam esse veluti formicam. Similiter proponat sibi ob oculos totum oceanum esse, atramentum, arbores omnes esse calamos, coelos omnes extensos in cartam, homines et angelos similiter scriptores, qui velint divinae magnitudinis immensitatem exprimere; et certe teneat nihil plane futurum, quidquid dixerint vel scripserint, ad id quod Deus est in se.

Istis ac similibus exemplis ac formis impressam habeat de Deo summam, quam potest, admirationem, ut cum debito timore ac reverentia accedat.

Quibus adjungat Deum et Christum Dominum cum majestate jam dicta praesenti suae orationi adfuturum, ut orantem, ejusque omnes actus etiam intimos conspiciat, et sibi in eis complaceat. Tum convertatur ad seipsum, et suam vilitatem, et in se et potissimum coram tanto Deo consideret; intelligat se nihil esse, ex nihilo in nihilum tendere, omnino in omnibus a Deo pendere, tot esse miseriis et peccatis onustum, et mox

coram Altissimo Deo compariturum. Quod si coram Imperatore totius mundi rusticus totus ulceratus et sordidus compareret, utique se disponeret ad humilitatem, timorem et reverentiam summam, eo modo, quem magis gratum tanto Principi futurum judicaret; quanto magis homuncio coram suo Creatore oraturus, ante quam accedat, animo se totum colligens et praeparans, replebit se sui confusione quam maxima, tum etiam timore ac reverentia erga Deum debita.

Haec igitur omnia proxime ad orandum accessurum praeparant ad fructuose orandum, et sine his temere, quod tamen fit a multis, oratur. Contra vero, quanto profundius se in eis immergat, tanto majori lumine ac fructu orabit.

TERTIO. Sequitur oratio praeparatoria cum suis praeludiis: nam immediate post ea quae diximus, summa animi submissione, coram divina majestate quasi tremens, prostratus seu genibus flexis, antequam meditatur circa propositam materiam, debet in Deum praesentem oculos mentis intendere, et primo omnium eum adorare; quod verba illa praescribunt: *Cui reverentiam cum humili gestu exhibere debeam.* Decet enim plurimum ut coram tanta majestate homo vilissimus apparens ante omnia adoret eam.

Actus hic adorationis, primo supponit cognitionem Dei jam notatam et suae vilitatis, cum admiratione quam maxima. Inde timor reverentialis oritur; tum maximum desiderium submittendi se tanto Deo: sequitur ipsa reverentia, seu adoratio, quae nihil aliud est, quam submissio quaedam profunda voluntatis ac totius hominis in recognitionem divinae majestatis ac sublimitatis; sicut in genuflexione corporis coram Imperatore, illa dejectione ac submissione fateor ac recognosco illum esse supra me eminentissimum et Dominum

meum, et me esse ejus minimum et indignum servum in omnibus ab illo pendentem.

Facta adoratione hac sequitur petitio humilis a Domino, ut omnes actiones meas, et hanc potissimum dirigat in gloriam suam, et intimam devotionis gratiam in ea concedat. Invocanda est autem ad hoc sanctissima Virgo Dei Mater, Angeli Custodes, et Sancti quos speciali devotione colimus. Haec autem oratio praeparatoria incipit jam hominem Deo unire ; estque quasi primus ingressus in atrium hujus palatii.

§ V. — *Praeludia.*

POSTREMO adhibentur duo praeludia, vel plura ; et haec proprie disponunt animum ad attentionem in materiam quam meditari debet : priore autem praeludio intellectus juvatur; altero affectus. Etenim ut intellectus, qui facillime distrahitur et vagatur, in meditando fixus haereat, et quasi ligetur, ac determinetur ad materiam quam est meditaturus, suaviterque distractiones impediantur, cum homo pendeat a sensibus et phantasmatibus : sapienter praescribit S. P. Ignatius, ut si est meditaturus rem corpoream, eam totam imaginationi suae repraesentet, id est personas, locum, et alias circumstantias, quasi habeat ante oculos. Quod si meditatio futura sit de re plane spirituali, tunc fingat exemplum, quale illud est, de anima, quae in corpore est, tamquam in carcere inclusa et catenis onusta ; et similia pro varietate materiae. — Secundum vero praeludium, in quo petitur gratia illius affectus quem volumus, ut exempli gratia, confusionis, doloris de peccatis, vel laetitiae, et similia, valet ad sistendum affectum ac voluntatem in eadem materia meditationis ; unde sicut oratio praeparatoria est veluti ingressus in primum atrium palatii divini, sic duo praeludia, in duo veluti cubicula introducunt, immediate cellam sponsi, scilicet

ipsius Dei, antecedentia, in quam deinde meditatio animam tamquam sponsam introducit.

Haec de praeparatione orationis praescribit S.P.Ignatius. Quae si considerentur, eoque ordine, quo proposuimus, perpendantur, intelligemus, nec exactius neque excellentiori methodo posse animam ad orandum disponi. Quod quidem tanti momenti esse iterum asseveramus, ut expediat valde in tirocinio exerceri animas diligenter in his omnibus, et potissimum in formanda maxima existimatione Divinae Majestatis tamquam praesentis, et nostrae vilitatis. Porro in actu illo latriae, submissionis et reverentiae exhibendo, primis diebus aliquam temporis orandi partem insumere,donec assuescat quis in momento idem praestare, non solum nihil detrahit orationi, sed etiam valde utile est, ut in ea brevi proficiamus. Nam homini vilissimo, petituro et impetraturo a tanto Deo quae optat in salutem, atque cum eo commercium inituro, expedit, ut ante omnia se illi humiliet, et tantam Majestatem recognoscat, ut inde ad benignitatem commoveat, et ad illa omnia concedenda, quae in oratione petiturus est.

Caput ij. — De Meditatione.

POST praeparationem sequitur meditatio, cujus praecepta omnium optima, quae excogitari possunt, eodem modo quo superiora, S. P. Ignatius concise ac nihilominus plane docet.

§ I. — *Quae potentiae exercendae et quo ordine?*

PRIMO enim apte describit meditationis integram texturam in ipsa praxi, dum in primo ejus ingressu, materiam apte per puncta digestam proponit. Exercere autem jubet in illis eum, qui orat, tres po-

tentias, scilicet memoriam, intellectum et voluntatem, ut in primo exercitio habetur ; quod in omnibus aliis et in quacumque alia meditatione servandum est.

Duo autem in his verbis continentur. Primum est quod licet in homine praeter has tres potentias sint et aliae inferiores, sensuum, scilicet, affectuum internorum et externorum ; hae tamen non sunt proprie capaces hujus actus meditationis, seu orationis, nisi quatenus disponunt ad illam, et per objecta sensuum intellectus et affectus commoventur in Deum. Visus igitur seu imaginatio rei etiam sanctae, si in eis sistamus, non est oratio ; sed proprium est trium illarum potentiarum superiorum, scilicet memoriae, intellectus et voluntatis, orare et meditari. — Secundum est ad hoc ut meditatio sit integra, et omnibus numeris absoluta, requiri actus trium potentiarum, nec unam tantum sufficere. Nam si affectus consummate ac plene in colloquio ac fine orationis est exercendus, propter hoc tamen in ipsomet cursu meditationis adhiberi debet, ut suo loco dicemus.

SECUNDO. Ibidem docet S. P. Ignatius hunc esse debere ordinem harum trium potentiarum, ut 1° praecedat memoria ; 2° sequatur discursus et ratiocinatio intellectus ; 3° excitetur voluntatis affectus : et hic finem habeat meditatio. Hoc autem et in se clarissimum est, et in omni actione humana perfecta, quae a recta ratione procedat, locum habet, ut experientia ipsa docet. Colligitur aperte ex eodem loco, cum primo ait : *Exerceatur memoria mea circa primum peccatorum omnium* (1). Tum post multa subjungit : *Consequenter discurrendum erit per officium intellectus* et statim addit : *Nec non concitandis simul*, id est immediate post, *voluntatis affectionibus acrius insistendum* (2).

1. Exerc. 1m prim hebd. — 2. Ibid.

Tertio. Nomine memoriae S. P. Ignatius intelligit potentiam illam, et actum ejus, qui pro objecto habet res praeteritas, quae historiae vocari possunt. Sic enim habet ibidem : *Primum punctum erit, ut exerceatur memoria mea circa primum peccatorum omnium, quod fuit ab Angelis commissum* (1). Et in secundo puncto idem ait de peccato primi parentis. Quae quidem omnia constat esse praeteritarum rerum historias ; et similia habentur in omnibus meditationibus vitae Christi ; estque universalis regula hinc colligenda, quod, quoties erit orandum de re, quae jam praeterivit, primus actus orationis debet esse revocare in memoriam totam historiam. Nec tamen est necessarium de eadem re antea cogitasse, aut impressam habuisse notitiam per species ut aliqui existimant, qui nomen hoc memoriae nimis presse sumunt, sed S. P. Ignatius per actum memoriae intelligit quamcumque cogitationem seu repraesentationem intellectui de re praeterita. At praeterea memoriam vult esse etiam actum cogitationis rei cujuscumque, quam sibi intellectus tunc repraesentat, et quasi ob oculos ponit, antequam circa eam ratiocinetur. Sic enim habet : *Unde memoria versandum erit, quanta sit peccati gravitas et malitia* (2). Gravitas autem peccati non pertinet ad historiam, sed est res mere speculativa, cujus primam apprehensionem, et deinde circa illam discursum vocat exercitationem memoriae.

Supponit igitur: *Primo* omnium, materiam de qua sumus meditaturi, punctis suis esse praescriptam ; et primam apprehensionem claram et integram omnium, qui est primus actus primae ex tribus potentiis, appellat actum sive exercitium memoriae. — *Secundo*, autem ratiocinari vel discurrere circa eam, vocat actum intellectus, ut patet ibidem et saepe alibi. — *Tertio*, vult concitari affectus et exerceri.

1. Ibid. — 2. Ibid.

QUARTO. Praecavet diligenter S. P. Ignatius, ne sistat homo in primo actu, sed statim transeat ad secundum, tum vero ad tertium: nam postquam in primo exercitio docuit esse in memoriam revocandum peccatum Angelorum, subjungit: *Adhibito statim discursu intellectus, atque voluntatis motu instigante me.* Hujus autem rei potest esse duplex ratio.

Prima, quoniam actus apprehensionis solus, vel non est oratio, vel valde imperfecta, et nullius fere fructus. Sicut enim in aliis actibus humanis, et praecipue virtutum, sistere in nuda subjecti apprehensione, et rei quae legitur vel auditur, propter exiguam illam delectationem, quae tunc percipitur, nisi tendat ad actus aliarum potentiarum, nihil juvat ad operandum vel acquirendum habitum artis seu virtutis; sed vere est quasi ludus mentis: sic etiam in oratione delectari multa lectione seu auditu rerum divinarum, et in illa prima apprehensione illarum sistere, inutile est; et ideo statim discursus est adhibendus, et affectus concitandus.

Secunda ratio est, quoniam, cum virtus animae et potentiarum ejus sit finita, si nimium in hoc actu memoriae fatigetur, debilitatur, et inepta fit deinde ad actus alios utiliores. Et propterea optimum est consilium, ne in eo sistat, sed progrediatur ad alios actus; praeter quam quod continuatio haec actuum excitat valde lumen discursus, et post hoc vim affectus, ut fervens et fructuosa sit oratio. Hinc colligitur eos, qui in suis meditationibus praemittunt longas orationes vocales, quae nimium fatigant mentem, errare contra hoc consilium, et esse corrigendos; similiter eos, qui delectantur simplici tantum quadam et nuda rerum divinarum apprehensione et gustu.

QUINTO. Vult S. P. Ignatius conatu ac studio in horum trium actuum cursu nos crescere ac progredi eo

ordine: ut primus omnium, qui est actus memoriae, sit minimus, id est minori conatu fiat, magnaque cum suavitate. Secundus vero, qui est ratiocinatio intellectus, majori cum vehementia fiat: est enim discursus quasi motus intellectus, in quo, nisi sit industria, et acrimonia quaedam, tepescit animus in oratione. Maximus vero omnium conatus totius animae et virtutis ejus ponatur in concitandis affectibus: in quo totus fere orationis fructus consistit. Debet igitur attente primo omnium, qui orat exercere memoriam; tum non solum statim sed majori conatu adhibere studium ratiocinandi: tertio multo majorem conatum, id est quam maximum potest, in affectus commotione collocare.

Hic autem progressus est valde notandus, nam ab eo pendet vera et fructuosa praxis orandi. Colligitur autem clare ex verbis S. P. Ignatii ibidem, cum de actu memoriae primo ait: *In memoriam igitur dicimus trahendum esse, quo pacto Angeli creati primum sint*, et quae sequuntur. Subjungit de secundo actu: *Consequenter discurrendum erit pensiculatius;* quo verbo quis non videt majorem conatum requirere S. P. Ignatium in actu intellectus, quam in actu memoriae? Tum de tertio subdit: *Nec non concitandis simul voluntatis affectionibus acrius insistendum.* Quod alibi etiam insinuat, et potissimum cum docet animum satiari in oratione, actibus non intellectus proprie, sed voluntatis; in annotatione secunda, cum ait: *Non enim abundantia scientiae, sed sensus et gustus rerum interior desiderium animae explere solet.* Ex quo sequitur debere eum qui orat, longe majorem conatum adhibere in affectu quam in intellectu, cum in eo spiritualis animae sitis expleatur.

Sexto. Sequitur hinc regulam et mensuram primi actus, qui est memoriae, esse secundum, scilicet actum intellectus; et secundi tertium, nempe actum affectus.

Nam cum finis primae apprehensionis sit circa illam materiam discurrere, et finis discursus sit commotio affectus, finis autem sit mediorum mensura, tantum debet sistere quis in rei totius apprehensione per memoriam, quantum satis sit ad discurrendum in ea: id est cum primum eam sibi repraesentavit: similiterque tantum immorari in discursu, quantum sentit se jam paratum, ut possit circa eam commovere et accendere affectum; in quo cum sistat et terminetur oratio, constat omnium nobilissimum actum e tribus hunc esse, et tamquam aliorum mensuram ac scopum; et in quo totus orationis fructus consistat. Etenim quanto magis anima inardescit affectu in Deum, et illi innititur, tanto magis proficit, et perfectius orat: et quum finis maxime omnium quaeri debeat, ceteraque omnia propter finem; hinc sequitur in oratione scopum hunc unicum esse debere, non curiositatis scilicet aut speculationis, ut quidam faciunt, sed uniendi per intimum affectum animum cum Deo, ut deinde dona et virtutes ab eo impetremus.

Septimo Sequitur in actu memoriae non requiri inventionem ullam orantis vel industriam, nec in ipsa materia, quam totam debet habere ordinatam suis punctis, ut habetur in singulis exercitiis toto libello, quamvis non repugnet quemlibet pauciora vel plura ea facere ut placuerit. Sed hoc facillimum est. Similiter dicendum est de iis, quae memoriam aut apprehensionem juvare possunt, ut sunt exempla sensibilia in praeparatione aut praeludio, de quibus jam diximus. Nam haec omnia supponenda, ac ante præparanda sunt, ut sine labore statim occurrant: et ideo S. P. Ignatius omnia haec memoriae adminicula adhibet et subministrat in ipsa formula orandi. Unde ex. gr. in primo puncto secundi exercitii, cujus materia est

omnium peccatorum totius vitae consideratio, ad levandum laborem memoriae subjungit : *Qua in re triplici juvamur compendio* etc. Tum in exercitio de duobus vexillis, daemonum et Christi inspirationes ad tria capita similiter reducit. At in actu et in exercitatione discursus requiritur propria inventio ex vi ratiocinationis emanans, quasi res nova sit, et proprius partus, non aliunde emendicata, pro viribus tamen et capacitate cujusque. Et in hoc maxime consistit fructus ille orationis, de quo S. P. Ignatius : *Ut is, qui meditaturus est, accepto veritatis historicae primum fundamento, discurrat postea et ratiocinetur per se ipsum ;* tum subjungit: *Ita enim fiet, ut, dum aliquid invenerit... uberiorem fructum percipiat...* (1) Multo magis vero in tertio actu debet quisque proprio conatu ac industria, quasi ex se ipso per divinam gratiam ductus, non autem aliunde tractus, cum Deo colloqui, et affectum concitare : secus enim si fiat, arescit plane et languet animus, et nullum fere esse orationis fructum percipit. Et haec etiam est causa, quare parum sit immorandum in primo actu, et transeundum ad secundum, tum ab illo ad tertium, majorque longe conatus in secundo et tertio quam in primo requiratur, ut ex dictis patet.

Octavo. Notandum est, quod meditatio haec jam praescripta, quamvis quoad ejus varietatem non possit praefiniri, quoniam quot sunt homines, tot sunt fere modi meditandi : nihilominus tota ad duo genera referri potest. Nam sunt, qui intellectum habent aptum ac facilem ad diu ratiocinandum et discurrendum, et hi debent tamdiu in discursu exerceri, quo in fine affectum debite concitent. Alii sunt, qui difficile possunt detineri in discursu, quod vel intel-

1. Annot. 2.

lectum natura habeant hebetem et minime ad id aptum, vel vehementer ac subito omnia apprehendant ac sibi repraesentent, ad quae alii longo discursu indigerent; et his conveniet tempus meditandi in actibus variis apprehensionis, et affectus insumere; neque curare debent illud tentare, quod illis esset laboriosum, et, ut plurimum, inutile. Hoc autem, licet non dicat S. P. Ignatius, tamen est per se notum; et insinuatur in secundo ac tertio tempore eligendi, de quibus infra in libro Exercitiorum. Nam sicuti ibi divinum beneplacitum ait posse declarari alicui, primo per actus varios affectus, id est consolationum et desolationum, vel secundo per discursum purum intellectus, diu perpendendo utrinque quid commodum, quid incommodum sit: similiter etiam in quacumque materia orationis sequitur posse nos meditari vel per apprehensiones varias ac subitas, cum affectibus illis correspondentibus, in his horam insumendo, vel per discursum integrum ac diu durantem.

§ II. — *De applicatione sensuum.*

NONO. Constat S. P. Ignatium praeter meditationem, qualem jam diximus, in qua tres potentiae exercentur et actus earum, praescribere aliud genus, quod ipse vocat applicationem quamdam sensuum (1) et hanc in mysteriis vitae Christi ponit.

Quae ut clarius ac plenius percipiantur, notandum est, quod intellectus noster, postquam spatio aliquo temporis circa aliquam materiam meditatus est, uno ex duobus modis jam dictis, qui sunt naturales, faciles et ordinarii, in quibus paulatim et sensim transit de una in aliam veritatem, deducendo unam ex alia, solet plenius illustrari circa eamdem materiam per

1. Secunda hebd. exerc. 5.

quemdam quasi intuitum illius tamquam praesentis, et sine motu ullo, aut mentis agitatione, totam rem in momento conspicere, quasi habeat ob oculos : et hic est modus altior primo ac difficilior : nasciturque ex diuturno discursu et habitu ejus, quod et in ipsis scientiis experientia docet.

Haec autem meditandi ratio habet multos gradus, quorum primus et omnium infimus est per applicationem imaginationis seu quinque sensuum, qui imaginarii appellantur, et locum habent in rebus sensibilibus, ut in mysteriis vitae Salvatoris : cum ex. gr. diu efficaciter meditando mysterium Nativitatis, excitatur lumen, quo sine motu ac discursu videor mihi videre, ac si omnino oculis conspicerem stabulum, praesepe, B. Virginem, et reliqua : videor mihi audire eorum sermones et Infantis vagitus, et quasi tangere praesepe illud sacrum, fascias et similia. Et hic modus longe est efficacior ad excitandos affectus in voluntate; nam, re veluti praesente et ob oculos posita, movemur multo vehementius ad pietatem, reverentiam, amorem, obsequium et similia : et ex hoc quasi intuitu mysterii, si libet etiam discurrere, id facimus majori devotione et fructu : nam est modus simillimus ipsimet reali praesentiae per sensus externos, quae plurimum valet ad concitandos affectus. Propterea legimus saepe Dominum viris sanctis, ut S. Birgittae, S. Francisco et aliis per revelationem posuisse ob oculos mysteria Christi quasi essent praesentia, ut inde longe altius ad sanctissimos affectus erga Deum commoverentur. Et in locum talis repraesentationis succedit applicatio haec sensuum, quam ponit S. P. Ignatius, quae ordinarie supponit, ut diximus, efficacem discursum praecedentem, et non mediocrem progressum, ac temporis spatium in meditatione praemissum : tum etiam oritur ex vehementi affectu devotionis et amoris, qui

solet rem quasi praesentem facere ; et potissimum cum adest profunda humilitas ac reverentia erga Deum, qualem in praeparatione descripsimus.

Neque tamen, etsi omnia haec adsint, communicatur hic modus omnibus ; nam sunt, qui imaginationem natura habent valde debilem, qui frustra in hac applicatione laborarent ; quod et contingit aliis alias ob causas. Quae si occurrant, supplenda erit applicatio sensuum, prius imaginibus externis, quae valde movent : tum applicatione illius luminis, quod in illis ex meditatione sit majus et vehementius, sicuti in nonnullis est ipse discursus et meditatio, sed velocior et vehementior ; in aliis affectus et actus illius, et potissimum amoris ; in aliis vero lumen ipsum intuitivum intellectus sine sensibus ; sed hoc est altissimum quid, et paucorum.

Sunt praeter hunc primum gradum hujus applicationis, alii majores, inter quos est intuitus quidam ipsiusmet Dei in qualibet creatura quasi praesentis, et similes. Sed cum haec rarissima sint, nec fiat a S. Patre de illis mentio, non est quod de eis hoc loco plura dicamus. Ex his autem omnibus, quae diximus de meditatione, aperte colligitur tota praxis ejus, id est, quid debeat praestare quilibet, ut meditationis donum consequatur. Et haec quidem praestentur summa diligentia et quam maxima in Deum fiducia, post congruam praeparationem, ut dictum est.

§ III. — *De actibus nonnullis altioribus.*

DECIMO et ultimo superest de eadem meditatione aliud, quod, cum sit magni momenti, et omnia jam dicta supponat, merito ad extremum reservavimus. Est igitur advertendum praeter actus trium potentiarum esse quosdam alios longe altiores, qui desursum sunt : scilicet, primi quidem proveniunt a nostris potentiis

animae, divina gratia utique juvante ; et in illis sentimus conatum nostrum, et nos propriis viribus agere, et elicere actus illos ; suntque vel naturales, vel saltem ordinarii, quales jam descripsimus. Alios vero actus de quibus modo loquimur, quamvis nostri sint, et a nostris potentiis eliciantur, sentimus a Deo quasi immitti et speciali quadam ratione provenire : in quibus ab altiori principio ducimur, fiuntque etiamsi parum conemur, cum quadam divina suavitate, et in momento, dum primi fiant ut plurimum in tempore. Suntque hujusmodi actus praeter ordinem ; et ideo speciali ratione divini et supernaturales dicuntur, quod majorem habeant efficaciam elevationis, conjunctionis et unionis cum Deo, quam primi. Et quoniam tres sunt potentiae, quoad memoriam illi essent hujusmodi : si Deus objectum ipsum ac materiam orandi nobis repraesentaret ex se, quod fit per revelationes ; sed de his nihil S. P. Ignatius : etenim ea expectare vel inquirere curiosum est, et a nostro Instituto valde alienum, multisque obnoxium illusionibus. Igitur in spiritu solitae simplicitatis nobis est standum, et supponendum actum memoriae mere naturalem esse debere cum adjutorio gratiae ; ac materiam orandi in puncta distributam esse praeparandam ac nobis repraesentandam eo modo quo diximus. In intellectu autem et voluntate facilius et securius locum habent hujusmodi altiora ; nam praeter actus ordinarios illarum potentiarum, quos summa diligentia debemus praemittere meditando, solet quandoque Dominus in oratione immittere divinos influxus ac inspirationes, quae nescimus unde veniant ; et per quae, ut diximus, animus elevatur subito et accenditur in Deum. Hi optimi sunt et maxime observandi, tamquam totius orationis pretiosissimi fructus : nam laborantem coram se strenue, ut Deo conjungatur in oratione, solet Deus quasi

recreare his divinis immissionibus, ut magis accedat, et uniatur Sibi, unico summo Bono. At videamus ante omnia an haec sit doctrina S. P. Ignatii. Clare autem de hujusmodi actibus loquitur primo, in secunda annotatione, his nimirum verbis : *Ita enim fiet ut dum aliquid invenerit... sive ex discursu proprio, sive ex divina mentis illustratione id contingat* etc.... Ubi intellectum, ait, posse aliquid invenire non solum proprio discursu, sed etiam divina illustratione. Alibi etiam hoc idem indicat, cum ait : *Prout ad divinum cultum commodius fore, vel ex divino instinctu, vel ex rationis dictamine animadverterit* (1) : et quoad voluntatem : *Electionis tempus*, inquit (2), *primum erit, quum voluntatem divina virtus sic impellit, ut omnis dubitatio, imo etiam dubitandi facultas sublata sit ;* tum de secundo electionis tempore subjungit : *Quoties satis clarum compertumque sit divinum beneplacitum, docente id aliquo consolationum, desolationum, vel diversorum spirituum praevio experimento.* Idem colligitur ex primis verbis examinis generalis, tum ex regulis discernendi spiritus primae et secundae hebdomadae.

De his autem divinis influxibus seu immissionibus modo haec pauca subjungamus :

Primo. Eas non pendere quidem a nobis, sed tamen impediri posse plurimum, et hoc tripliciter ; 1° affectu nimio et crasso ad res mundanas, de quo annotatione nona. 2° Si nos simus in supradictis negligentes : nam omnia quae diximus, juvant plurimum et disponunt animum ad hoc, ut Deus visitet nos supernis consolationibus; et e contra, negligentia ac socordia in his, quae a nobis pendent, dum oramus, incapaces facit earumdem coelestium immissionum ; et hoc sibi voluit S. P.

1. Hebd. secunda. In 3° punct. Medit. *De tribus class.*
2. Hebd. secunda. *De tempore triplici ad Elect.*

Ignatius clare in sexta annotatione. 3° Per scrupulos, anxietatem, apathiam, cum scilicet nimium affligimur, quia non sentimus consolationes.

SECUNDO. Posita debita diligentia, sine scrupulis aut apathia aut animi anxietate, intelligat is qui orationi vacat, nullam regulam esse sub coelo, quae dari possit ad hujusmodi immissiones habendas : nam a solo Deo pendent, et ab eo immediate dantur ; et ideo nihil est securius, quam in hoc se totum Deo committere summa animi et quiete et submissione, qua se omnino indignissimum sentiat omni dono coelesti, et divinae voluntatis conformitatem solum inquirat ac petat.

TERTIO. Cum primum a Domino hujusmodi divinis influxibus orando afficimur, debemus in eis persistere, et nihil aliud curare, etiamsi puncta multa supersint meditanda ; etiamsi praeter propositum ordinem contingat nos illustrari ; etiamsi denique spiritus Domini trahat nos per divinam suam motionem ad affectum differentem ab ipsa materia, quam meditamur. Contra vero, velle prosequi nostrum ordinem tunc, et alio animum divertere, est velle dare Deo legem, estque pernicies maxima ac pestis orationis ; cum finis ejus sit unire hominem Deo, et hoc a suo divino beneplacito pendeat, debemus huic plene subjici, et permittere, ut Spiritus divinus omni modo, quo ipsi videtur, se nobis communicet, ut clare praescribit S. P. Ignatius duobus in locis (1). Quod si nihil hujusmodi occurrat in oratione, quod ad has divinas motiones trahat ; tunc poterit ordinem suum tenere, ita tamen ut semper paratus sit omittere, cum senserit se a Deo moveri ; sitque hoc animo, ut praebeat se Deo docilem et tractabilem.

1. Add. 4. et reg. 2. circa 1^m et 2^m mod. orandi.

QUARTO et ultimo, intelligat et advertat plurimum, tentationibus obnoxium fore quamprimum divinis coeperit inspirationibus affluere, qui se orationi diligenter dederit : malus enim spiritus, invidens tanto bono, incipiet etiam suggerere affectus ac motus pravos, vel aperte, vel tansfigurans se in angelum lucis ; et tunc necesse est, ut discernat utriusque spiritus, boni scilicet et mali, commotiones, ut repellat has et sequatur illas : de quo optime S. P. Ignatius in Regulis primae et secundae hebdomadae. Consolationes autem divinae, quas fuse ibi explicat, sunt hae divinae motiones, de quibus modo loquimur. Sed infra fusius de hac materia dicemus suo loco : modo satis sit hoc adjungere his quae diximus, quod per has divinas consolationes Dominus soleat significare, quid ipse a nobis exigat ; ac diligentissime per illas curare debemus, ut divinum beneplacitum in omnibus et intelligamus et exequamur. Et haec de meditatione dicta sufficiant.

Caput iij.— De Colloquio et actibus ejus.

QUAMVIS in toto cursu orationis conveniat immiscere actibus intellectus actus voluntatis et affectus, et potissimum cum Deus divinis suis influxionibus cor tangit ; in fine tamen totius orationis maxime omnium debet affectum exercere, summo quo potest conatu, is qui orat, ut hic sit fructus fere omnis orandi ; et propterea tertia pars sejungitur a praecedentibus sub hoc nomine colloquii.

PRIMO autem illud est advertendum, quod cum oratio tota ac meditatio, licet non sit semper *de Deo*, sed circa varias materias versetur, sit tamen *coram Deo* tamquam praesente, ut dictum est, numquam cessat, sed continuo durat actus ille reverentiae erga Deum

et adorationis et latriae, cum quadam animi submissione ac sui accusatione, a quo diximus esse semper orationem inchoandam. Hoc autem intelligimus eo sensu, ut non sit necessarium *actu* semper Deum meditari ac revereri: nam hoc esset non solum *coram Deo* sed *de ipso Deo* semper meditari, quod non est necessarium; at *virtualiter*, id est post expressum illum primum latriae actum, cum animus divertit ad meditanda varia pro ipsa materiae varietate, debet semper hoc praestare, quasi homo qui stat coram Deo, vel qui coram divina majestate praesenti est prostratus; frequenterque in illam intellectus oculum ac conatum affectus intendere, atque totum hominem internum et externum componere ad tantae Majestatis praesentiam.

SECUNDO. Haec reverentia licet sit continua *virtute*, major tamen esse debet in actibus voluntatis et affectus, quam intellectus: et maxime omnium cum hujusmodi actus in Deum immediate feruntur. Hoc S. P. Ignatius docet expresse annot. tertia; ex quibus verbis aperte elicitur continuatio hujus actus reverentiae erga Deum. Nam, cum dicat *majorem* esse debere in actibus voluntatis quam intellectus, et tota oratio constet his actibus, sequitur reverentiam nunquam intermitti, licet aliquando sit major, aliquando minor.

TERTIO. In fine orationis expresse debemus in Deum converti, et reverentiam numquam intermissam majori affectu, immo omnium maximo, illi iterum exhibere; et vi et calore ipsius orationis huic reverentiae affectui adjungere alium nobiliorem ac vehementiorem confidentiae ac familiaritatis et amoris: ita tamen ut nihil de reverentia ac submissione animi detrahatur. Nam sicuti vir ignobilis primo accedit ad regem tremens magnaque cum submissione et reverentia; tum ex

consortio Principis animatus, et potissimum affabilitate ejusdem, et paterni amoris erga se signis recreatus, magna animi fiducia familiariter incipit cum eo agere: sic animus in oratione persistens coram divina Majestate erigitur, maxime in fine, et commovetur fiducia quadam et amore erga Deum, qui infiniti sui amoris tot ei praebuit argumenta, et ad familiare quoddam consortium descendit: internisque animi motibus, saepe etiam voce externa, cum Deo quasi cum amico tractat; et ob id appellatur colloquium. Et ideo dicitur a S. P. Ignatio in fine primi exercitii: *Porro colloquii proprium illud est, ut fiat sicut amici sermo ad amicum, vel servi ad dominum.* Nam colloquia servi vel amici ex fiducia et amoris affectu erga dominum vel amicum solent provenire.

QUARTO. In colloquio non tantum magnam affectus vehementiam requirit S. P. Ignatius, sed etiam exactam diligentiam ac studium affectuum et verborum, cum ait: *Colloquium postremo subjiciam disquisitis studiose verbis, quibus divinam quamlibet personam... digne valeam compellare* (1). Ratio hujus, quam iisdem verbis insinuat, est dignitas et majestas divinarum Personarum, quas decet digne compellare: et ad hoc studium ac diligentia summa requiritur, ut ea tantum quae digna sunt tantae celsitudinis, aptaque ad impetranda, quae petimus, proferamus. Studium autem totum in hoc debet inniti humilitate quadam animi profundissima, et divina gratia, quae plurimum solet in se confidentes juvare, et divinis suis immissionibus

1. Colloq. post Contempl. de Incarn. — Recte notat in hunc locum R. P. Roothaan non haberi in autographo hispano illa: *disquisitis studiose verbis, quibus..... digne valeam compellare*; Verum haec a S. P. esse conscripta: *Cogitando* QUID *loqui debeam*..... Igitur de modo loquendi seu de ipsis verbis nulla sollicitudo commendatur. Quod et per se satis patet et ab auctore nostro in fine hujus quartae annotationis clarissime insinuatur.

affectum digne componere ac interna cordis verba Deo digna dictare.

QUINTO. Actus, qui in colloquio eliciuntur erga Deum ii esse debent, quos tunc affectus fervens et maxime Deo unitus suggerere solet, non sine divinis influxibus ac immissionibus quibus saepe tunc illustratur. Nec certa potest regula praescribi: sunt enim varii ac multiplices, ut ex his, quae in hujusmodi colloquiis spargit toto libello S. P. Ignatius, colligi potest. *Tres* nihilominus potissimi sunt et proprii, maximeque ordinarii.

Primus est ut Deo pro beneficio illo orationis et pro omnibus aliis gratias agamus; *Secundus* est offerre se totum Deo et omnia sua, omnes scilicet actiones, cogitationes, et reliqua; *Tertius* quo fere semper oratio est terminanda, est ipsa petitio gratiarum et donorum a Deo; et hoc tum pro devotione, tum pro re ac materia, quae in meditatione praecessit, ut ipsemet S. P. Ignatius clare docet.

Materia vero orandi, quae jam tradenda esset, in explicatione quatuor hebdomadarum, inferius suo loco plene et copiose proponitur.

Modi autem orandi ex S. P. Ignatio primo quidem duo sunt, meditatio et contemplatio per applicationem sensus imaginarii, de quibus satis superque diximus: quum autem non omnes sint Exercitiorum capaces, quod et experientia docet, et S. P. Ignatius supponit, alios orandi modos faciliores tradidit, quorum in libello Exercitiorum tres commemorat: *Primum*, pure mentalem, similem aliis duobus, sed longe faciliorem, ut in ejus explicatione habetur; qui potest extendi ad omnes materias aliorum: *Secundum* et *tertium* mixtos ex vocali ac mentali, adhuc faciliores, qui similiter ampliari possunt et multiplicari. Praeter hos autem omnes in Constitutionibus, alios duos tradidit omnium facilli-

mos, Rosarii et Divini Officii recitationem, nullumque praetermittit modum, quem non attigerit, ut nullus esset tam rudis, qui se ab orando excusare posset. De his autem omnibus in sexto gradu de oratione copiose tractavimus (1).

1. Auctor remittit hoc loco et alibi persaepe ad opus suum cui titulus : *De interiori Doctrina seu Disciplina hominis interioris.*

DE EXAMINE.

DUO sunt potissima media et instrumenta, quae S. P. Ignatius ad animarum salutem, ac perfectionem procurandam selegit, ut diximus, oratio et examen ; et hoc merito. Nam, cum tanti operis *duo* sint moventia, *Deus* scilicet, auxilio suo divino, et *homo* proprii arbitrii cooperatione: oratio primum movet impetrando a Deo gratiam ; examen secundum, hominem nempe ipsum perficit per reflexionem in opera quotidiana. De oratione hactenus diximus ; superest ut de examine jam in medium afferamus ea, quae in libello Exercitiorum accurate traduntur.

§ I. — *Examinis natura.*

EXAMEN est intellectus reflexio in opera, ut per eam emendentur ac perficiantur; cui adjungi quidem potest et solet etiam oratio ; sed proprie non in ea, sed in ordine ad operum directionem, ejus ratio et vis tota posita est. Etenim quum homo in suis operationibus non solum ducatur instinctu naturae aut sensu, ut faciunt insensata et bruta, sed cognitione et electione, noveritque, non solum *quid* agat, sed *quomodo*, *quibus mediis*, *ad quem finem :* gratia divina, cujus proprium est naturam ipsam, secundum ea quae illi innata sunt et propria, perficere, requirit ab homine, ut non solum gustu, seu instinctu primoque motu, ejusdem gratiae operetur, sed ea maturitate et lumine, ea consideratione, qua decet hominem serio aliud quidquid operantem; ut scilicet consideratione finis ac mediorum, et reflexione in haec et alia hujusmodi, et ejusdem gratiae et naturalis luminis cum ea conjuncti directione, opus imperfectum emendet, et ad perfectionem debitam deducat.

§ II. — *Rectus usus examinis.*

ET quoniam, vi hujus reflexionis, majores nostri, sicut in artibus humanis, sic etiam in hac spirituali disciplina, experientia longa edocti, collegerunt praecepta, quibus emendari ac dirigi possent omnes operationes nostrae; sequitur hinc ad examinis usum utilem imprimis requiri, ut praecepta ejusmodi intelligamus et perpendamus, quasi leges ac regulas omnium, quae acturi sumus. Unde S. P. Ignatius in examine generali, quod habetur in libello, nihil aliud fere agit, quam selecta quaedam principia edocere, quae huic actionum nostrarum directioni deserviant, ut patet legenti quae in eo examine de cogitationibus, de loquela, et aliis ejusmodi tradit. Quae quidem varia pro status ac personarum varietate, singulisque propria sunt tradenda, ut certa habeant capita, ex quibus lumen directionis et emendationis consequi possint.

Post haec autem secundo loco, ut ad praxim praecepta haec deducantur, requiritur discretio internorum spirituum, qualem in ejusdem examinis generalis initio his verbis explicat: *Pro comperto ponitur triplex incidere homini cogitationum genus; unum ex proprio surgens motu ipsius hominis; reliqua vero duo extrinsecus advenientia, ex boni scilicet vel mali spiritus suggestione.* Nisi enim in se ipso haec discernat, certum est non posse etiam malas a bonis actionibus secernere, ut illas emendet, has dirigat, et perficiat: sed de hac discretione in fine libelli diligenter tractat, et nos suo loco dicemus.

Tertio, adjungi debet lumen, quo propria peccata, defectus et imperfectiones intelligat, et discernat a bonis actionibus, ut iis examinatis, et ad praeceptorum normam redactis, ad emendationis ipsius usum et praxim deveniat, ut apte docet S. P. Ignatius in primo seu particulari examine, quod in libello immediate generale

conscientiae examen praecedit (1) et similiter in tertio et ultimo (2), ut statim dicemus. Lumen autem hoc debet esse clarum, ne scilicet occultet, dissimulet, excuset vel minuat homo errores suos, nec etiam majores faciat, quam revera sint, ex scrupulis, pusillanimitate, aut apathia ; sed sincere, fideliter et plane detegat ; nec ullis proprii amoris tenebris obumbret. Debet etiam esse efficax, ne scilicet in oratione tantum, sed et extra eam duret; nec solum in desiderio emendationis sistat, sed pergat usque ad deliberationem et ad opus ; nec per se ipsum tantum, sed per alios quoscumque et detegi et emendari correptione aliisque mediis sinat; idque non solum aliquo temporis spatio, sed semper et constanter ad finem usque ; nec quosdam tantum defectus, sed omnes, et potissimum eos, qui majoris sunt detrimenti, emendandos suscipiat.

Quanti autem sit faciendum donum hoc divini luminis, vix potest explicari : vincit enim daemonis omnes artes ; purgat animum, tollit impedimenta, humilem et cautum reddit, capacem facit omnium donorum coelestium : clavis est, quae aditum aperit ad omne bonum : affert secum solidam et profundam animi quietem : denique, sine eo, aerem verberamus. Aptissimum autem omnium medium ad illud donum consequendum est ipsum examen, cum iis quae diximus adjumentis, cognitione scilicet praeceptorum, discretione spirituum, et ipsa deinde reflexione in opera nostra, per quam, dum praecepta quotidianis actionibus nostris applicamus, clare errores ipsi atque remedia deteguntur. Adest gratia, et adsistit ad hoc speciale Spiritus Sancti donum consilii, quod instanter est orationibus impetrandum. Amicorum, immo et aequalium nostrorum opera etiam ad eumdem finem utendum est, necnon

1. Hebd. prima ; Exam. partic. secundum tempus.
2. Ibid. Exam. gen. modus. Secundum punctum.

majorum directione: quibus omnibus, si Christum et Sanctos imitandi desiderium, atque inspectio in eorum virtutes accedat, plenam errorum nostrorum cognitionem, Deo juvante, consequemur.

§ III. — *Examen triplex.*

IN praxi autem ipsa, quam hic potissimum S. P. Ignatius praetendit, triplex examen assignat in libello.

PRIMUM est generale, cujus unicum datur exemplum in iis, qui a peccatis mortalibus purgandi sunt per generalem confessionem. At extendi idem debet ad omnes status, et ad quamcumque cujuscumque vitii et erroris emendationem, quae simul totius illius status, in quo tunc degit, emendationem comprehendit.

Forma autem hujus examinis facile ex eodem libello habetur: nam, si praecepta seu leges proprias ejus status, vel Instituti, quilibet prae manibus habeat, inde generatim, per reflexionem in se, omnes errores suos, ut ab illis purgetur, facile intelliget, sicut in praeceptis Decalogi S. P. Ignatius formam dat examinandi peccata mortalia: de hoc autem diximus fuse in opere nostro *De disciplina hominis interioris*. Singulis autem mensibus aut circiter, deberet quilibet proprio examine, suo statui accommodato, uti ad renovandam defectuum suorum cognitionem et emendationem: semel autem aut bis in anno confessionem generalem eorumdem facere, et frequenter cum Propheta recogitare annos suos in amaritudine animae suae.

SECUNDUM examen assumitur ad emendationem singularis alicujus defectus; et hoc est, quod primo loco S. P. Ignatius assignat, et in quo duo sunt advertenda. Alterum, quod, etsi usum ejus quemdam tantum ac singularem tradat ad defectus emendandos

qui committuntur in oratione, extendi tamen debet ad omnes alios. Et praxis haec esse debet, ut singulis mensibus vel hebdomadis, pro varietate personarum, unum ex majoribus nostris defectibus assumamus, donec usu hujus examinis emendemus ; tum post hunc alium, et sic deinceps. Alterum est quod circa lineas illas in libello positas illud servemus, quod in capite *de peritia* diximus (1).

TERTIUM et ultimum examen circa minutos et quotidianos defectus versatur, quod in modum orationis est compositum ; et semel seu bis in die semper est adhibendum, ut ibi jacet. Est autem illud observandum, pro iis qui in spiritu proficiunt, non esse tam minute in minimis immorandum, sed breviter totius diei praecipuis notatis erroribus, animum esse deinde divinis affectibus gratitudinis, amoris, et aliis similibus dilatandum.

Ad omnium autem horum examinum praxim juvabit multum, gravitatis peccati, et mortalis, cum de his examen facimus, et venialis in quocumque statu, matura consideratio, ut compunctio major, et emendatio efficacior sequatur. De modo autem ac discretione tenenda in hac reflexione examinum, ne nimia sit, et corpori noceat et animum defatiget, et tardum potius ac stupidum ad operandum efficiat, diximus in opere *De disciplina hominis interioris.*

1. Supra, p. 5.

DE REQUISITIS IN DANTE ET IN SUSCIPIENTE EXERCITIA.

SUPPONIT S. P. Ignatius tamquam per se notum, Exercitia spiritualia esse ab alio tradenda ; et merito quidem ; nam ut sit vera disciplina ea, quae in rerum spiritualium praxi versatur, omniumque nobilissima, quod omnes fatentur, et in nostro opere de eadem disciplina demonstravimus, eget procul dubio praeceptore aliquo et doctore. Usus etiam Sanctorum omnium is semper fuit, ut inter alios in persona abbatis Moysis Cassianus docet, et exemplo D. Pauli, et aliorum ostendit (1), non solum tirones aut proficientes, sed perfectos etiam, consilio ac directione aliorum usos fuisse: quod alibi etiam in persona abbatis Joseph affirmat (2). Hoc igitur quasi fundamento jacto in universum, dicenda sunt quae spectant ad dantem et accipientem : tum descendemus ad praxim, sequentes in omnibus penitus libelli S. P. Ignatii doctrinam et sensum.

§ I. — *Aptitudo.*

ANTE omnia, qui daturus est Exercitia, debet esse in toto libello Exercitiorum versatissimus ; ut non solum intelligat in omnibus quid praescribat, sed omnium et singulorum sciat rationem reddere. Sic enim habet S. P. Ignatius cum ait: *Dent operam omnes, ut eorum*, scilicet Exercitiorum, *rationem reddere possint* (3); et explicans quam exacte id praestare debeant, subjungit: *Cum vero Exercitiorum ratio redditur, non solum id agatur ut aliis satisfiat, sed etiam ut in illis deside-*

1. Coll. 2, c. 2.— 2. Ibid.— 3. Parte IV Const. c. 8, § 5. E.

rium excitetur, ut eisdem juvari velint (1), indicans tantam esse debere notitiam hujus artis, ut is qui tradit Exercitia non solum speculative satisfaciat omnibus, reddendo rationem omnium ; sed etiam practice excitet desiderium eorum. Requirit igitur scientiam altissimam per causas, scilicet analyticam, tum zelum et praxim adjunctam, qua moveat alios ad hoc, ut velint per ipsa Exercitia juvari. Exigit praeterea S. P. Ignatius, ut experientiam habeat eorumdem Exercitiorum ; et hanc primo in se, ut scilicet expertus sit eorum virtutem, accipiendo ea ab alio, tum in aliis eadem tradendo. Sic enim habet : *Ad Exercitia spiritualia aliis tradenda, postquam quisque in se ea fuerit expertus, assuescant* (2). Per hanc experientiam vult, ut nostri artem comparent tam excellentem, ut in Exercitiis tradendis magnam habeant dexteritatem, ut ibidem ait. Quae quidem omnia cum et temporis spatium exigant non exiguum, et difficilia sint, subjungit modum, quo possint ad hoc studium juvari, dicens : *Possent ad Exercitia aliis tradenda assuescere nonnullis ea tradendo, in quibus minor jactura esse possit, si quid erretur, et conferre cum aliquo magis exercitato suum procedendi modum ; bene adnotando quod magis vel minus convenire deprehenderint* (3). Ex quo apparet, quantam diligentiam, et quam multa requirat S. P. Ignatius : praeter lectionem scilicet libri, vel disciplinam ab alio traditam, usum tradendi aliis paulatim ; tum conferentiam cum peritis, et observationem omnium quae conveniunt. Sic enim medici et artifices comparant sibi excellentiam in artibus suis.

Huic doctrinae et experientiae dantis debet correspondere in accipiente : primo, capacitas naturae ac valetudinis, tum dispositio voluntatis. Quoad primum,

1. Ibid. Declar. E. — 2. Parte IV Const. c. 8, § 5. — 3. Ibid. Declar. E.

rudibus, imbecillibus et illitteratis quaenam conveniant, habet annotatione vigesima octava. Nec est quod laboremus in tradendis Exercitiis hujusmodi hominibus, qui capaces non sunt: sed satis est modum orandi, examina, et sacramentorum frequentiam illis praescribere. Sub hoc autem capite quamplurimi continentur.

Illis, qui ad purgationem peccatorum, ac stabilitatem in gratia apti sunt, danda est prima hebdomada: quod si constet in progressu non esse capaces altioris doctrinae, sed versari valde crassis rerum mundanarum desideriis et amore, quod multorum est, tunc satis id erit, nec expedit supra vires illos in altioribus exerceri, ut habet S. P. Ignatius (1).

Denique omnia Exercitia plene nonnisi paucis conveniunt, et cum magno delectu danda sunt (2); et in his, praeter ingenii et naturae dotes, voluntas quoque requiritur valde deliberata et animata ad perfectionis spiritualis consecutionem, per status electionem, vel in via spiritus progressum, ut habet ibidem S. P. Ignatius.

Quoad secundum, id est, voluntatis dispositionem, requiritur, praeter jam dictam deliberationem, docilitas magna, amor, reverentia, ac fiducia erga Instructorem; unde fiat, ut velit ac permittat in omnibus se plene dirigi. Hoc ex praxi totius libelli colligitur, et in annotatione sexta alibique saepissime docemur.

§ II. — *Prudentia dantis; sinceritas excipientis.*

SECUNDUM praeceptum pro dante Exercitia est quod, supposita doctrina et exercitatione in toto libello Exercitiorum, cum descendit ad praxim, id est, ad danda alicui Exercitia, non debet esse obligatus

1. Annot. 9.
2. Constit. Declar. P. VII. c. 4. F. Cfr. Declar. P. IV. c. 8. litt. E.

itterae praeceptorum ipsius libelli ; ut ea omnia in omnibus et aequaliter servet, eumdem tenorem et formam perpetuo tenendo : et ratio est quod cooperatio nostra diversitati tum personarum, tum ipsius gratiae, necessario accommodari debet ; cum autem praecepta et regulae libelli dentur ad eidem gratiae cooperandum, non sunt igitur omnia omnibus ad litteram eodem modo, sine alio delectu, tradenda; sed summa cum prudentia, singulis ea tantum, quae singulis conveniunt. Hanc autem fuisse mentem S. P. Ignatii ex eo constat, quod fere in omnibus liberum ac integrum sinit danti Exercitia, ut immutet regulas easque accommodet pro varietate ac necessitate suscipientium.

PRIMO enim disponit S. P. Ignatius omnia Exercitia per quatuor hebdomadas, ut patet, et quoad hoc subjungit non esse necessarium, ut contineant singulae septem vel octo dies, sed posse vel succidi vel extendi, pro ratione subjectae materiae, pro varia agitatione spirituum, quae variatur in multis, et pro tarditate, vel promptitudine ingenii, vel aptitudinis et motionis suscipientis Exercitia (1).

SECUNDO. Quoad dandum omnia, vel pauca vel plura, apte docet accommodanda Exercitia juxta ejus, qui exercetur, habitudinem ; puta pro aetate, doctrina, ingenio, viribus, et aliis (2).

TERTIO. Admittit, pro iis qui sunt occupati in negotiis gravibus, ut per horam cum dimidio faciant Exercitia, et tota die vacent suis negotiis (3) : unde sequitur inverti, in hoc casu et aliis huic similibus, ordinem in libello praescriptum.

QUARTO. Detectis variis spirituum commotionibus in suscipiente, liberum relinquit, ut nonnulla exercitia

1. Annot. 4. — 2. Ibid. — 3. Annot. 19.

spiritualia illi praescribat praesenti animae necessitati opportuna, id est varia pro necessitatis hujus varietate (1).

Quinto. Liberum esse vult tradenti Exercitia, ut in via purgativa adjiciat meditationes de morte, de peccato et ejusdem poenis, de judicio et similibus.

Sexto. Ibidem, distributione facta horarum diei pro exercitiis, subjungit, hanc temporis distributionem augeri posse vel minui, pro aetatis, animi, corporisque dispositione ac complexionis varietate (2).

Septimo. Additionum usum vult esse varium ac circumspectum, pro mysteriorum, quae meditamur, varietate : cum alia poenitentiam requirant, alia non ; quaedam moerorem, alia laetitiam.

Octavo. Mysteriis vitae Christi secundae hebdomadae, posse adjici alias meditationes vel subtrahi, juxta temporis facultatem, et utilitatem personae se exercentis ; tradit idem prorsus in mysteriis tertiae et quartae hebdomadae.

Nono. Quoad puncta in eodem exercitio, liberum relinquit exercitantem, ut ex illis plura faciat vel pauciora, prout senserit sibi magis expedire.

Ex his sequitur non satis esse in dante doctrinam, sed praeterea requiri tantam prudentiam, ut sciat pro varietate personarum, ac dispositionis earum, accommodare regulas et exercitia, mutando, minuendo, adjiciendo, prout magis in Domino expedire videbit : et ob id S. P. Ignatius exactissimam omnium rationem in praxi proposuit, non ut illam sequamur pro omnibus, sed ut detrahamus inde, ac mutemus quod expedit in singulis.

1. Annot. 17. — 2. Post Exerc. 5m primae hebd.

Cum autem alibi (1) apte dicit fructum non sequi Exercitiorum, nisi quis praescripta tempora, modos et cunctas additiones servet, loquitur de ipso suscipiente, cujus est muneris nihil ex suo capite, sed ex praescripto dantis omnia facere. Dantis autem officium est praescribere minute tempora, modos et omnia et varie pro varietate personarum, quod prudentiae ejus committitur. Cum autem non possent in libello haec omnia determinari, modum omnium exactissimum explicavit, quem servaret dans Exercitia quantum fieri potest : mutaret autem pro libitu, cum id esse operae pretium judicaret.

Hinc autem sequitur, esse hanc disciplinam difficilem, cum, praeter scientiam et experientiam, tantam prudentiam requirat, quod ad ejus laudem et dignitatem est referendum. At non desunt quae difficultatem hanc sublevant : adest enim donum quoddam divinum, a Deo paratum, discretionis spirituum, cui super omnem artem ac praecepta inniti debemus : accedit obedientia, cujus praescripto debet huic muneri tradendi Exercitia, non autem ex suo capite, se quilibet dare ; et confidere plurimum in Domino quod, jubens quod vult, daturus sit etiam quod jubet. Tertio, cum in praxi danda sunt Exercitia alicui, faciat summo studio quod in se est, et sine animi angustia se totum Deo committat, quia liberaliter compensabit Spiritus Sancti unctio divina quidquid in ipso desiderari potest. Teneat igitur praecepta libelli, intelligat suscipientis dispositionem, ac necessitatem, accommodet ex praeceptis, quae ad rem faciant. Quod si nec eruditione nec experientia valeat, paulatim assuescat, donec perfectam artem sibi comparet, quod et medici et omnes alii artifices solent : interim confidat in Domino et speret ; et sine ulla per-

1. Annot. 6 et 20.

turbatione, cum pura animi intentione faciat quod est in se, et intelligat Deum non permissurum, ut anima illa fructu suo defraudetur : quod experientia quotidiana deprehenditur.

Huic autem secundo praecepto dantis, ex parte suscipientis debet correspondere animi quaedam sinceritas, qua cum fiducia plene detegat interna sua danti, ut dirigatur, quod infirmus cum medico in morbo facere solet; potissimum autem cogitationes et affectus, a spiritu vel bono vel malo immissos, detegat ut discernantur; tum morbos, qui inde sequuntur, passionum scilicet, affectuum, deliberationum, et similium, ut curentur : tum bona, quae sequuntur ex bono spiritu in desideriis, consolationibus, propositis et aliis, ut circa haec illuminetur ac dirigatur : quae quidem omnia ex praxi continua, et ex pluribus locis in libello sparsis colliguntur. Stet autem praescriptis, et in omnibus, etiam minimis, diligentissime ad unguem praecepta dantis, nisi velit fructu ipso defraudari, observet (1).

§ III. — *Ratio docendi et discendi.*

TERTIUM praeceptum est circa modum, quo uti debet, qui dat Exercitia, in dandis regulis ac praeceptis ipsi suscipienti, et in instructione rerum omnium, quae in hac disciplina occurrunt.

PRIMO enim debet eum docere ordine, quomodo fieri solet in aliis scientiis, tradendo principia prima, et ordinate ex illis alia deducendo, quasi architectonice; quo quidem modo dantem Exercitia callere totam hanc disciplinam est necessarium, cum sit ipsemet architectus. At suscipienti plerumque non expedit, ne animus obruatur et deterreatur; sed pauca, eaque

1. Ann. 6 et 20.

practica, circa ipsasmet actiones, sicuti occurrunt, et modo etiam practico, docendo hoc esse omittendum, illud agendum, aliud mutandum vel minuendum et similia : tum sensim ac paulatim, ut vix ipse intelligat aut animadvertat artem ipsam ; et brevissime, ut possit recordari et facile exequi : et, dum ipse suá narrat ac detegit, sumatur occasio ex illis, ut in singulis instruatur, animetur et dirigatur : sic enim facile progredietur et animabitur ad majora ; et explendo quae dicuntur, suaviter proficiet plurimum.

Hic est usus practicus, quo edocentur pueri in artibus quibuscumque ; quod si secus fieret, confunderentur, obruerentur et animo caderent. Hoc autem totus libellus ubique clamat : nam ob id nullum servat ordinem ac methodum scientificam, qualem modo nos tradimus ; sed supponit haec in dante. Sparsim autem variis in locis praecepta pro occasione ipsius praxis assignat, servatque ordinem illum disciplinae, inchoando a notioribus et imperfectis, qui convenit suscipienti : quod quamvis confusionem quamdam, prae se ferat, revera tamen prudentissime ac sapientissime est a S. P. Ignatio factum ; eo scilicet fine, quem diximus, ut utilitati suscipientis consuleret ; et simul dantem doceret quomodo uti debeat praeceptis ad eruditionem suscipientis, nihil supra captum ejus tradendo, sed singula suis locis, postquam scilicet prima implevit, quod magnam peritiam, dexteritatem et prudentiam requirit, ut habeat habitum disciplinae hujus talem, et ad manus semper illi sint, quae tunc opportuna sunt ; nec addat, quae ad rem non faciunt, aut pauciora offerat, quam requirantur.

Huic tertio praecepto in suscipiente correspondere debet attentio maxima ad ea, quae dicuntur ; consideratio eorum, plenum obsequium, et observatio, ut patet ex toto libello.

§ IV. — *Moderamen servandum.*

QUARTO et ultimo observandum est danti Exercitia, quousque progredi debeat cum suscipiente, et ubi sistendum sit : quod explicans S. P. Ignatius docet sapienter animum facientis Exercitia praeceptis ac monitis dantis esse disponendum, illuminandum et movendum usquequo aptus sit, his adjutus mediis, per seipsum immediate tractare cum Deo (1), et in oratione ac consortio cum eo consequi lumen et dona, quibus attingat et consequatur Exercitiorum finem, id est purgetur a vitiis, de proprio statu vocationis fiat certior, ab ipso Deo illuminetur in virtutibus per vitae totius emendationem, et in alium hominem mutetur ; vitae spiritualis perfectionem, et charitatis atque unionis cum Deo culmen ascendat. At quoniam in hoc praecepto, tamquam omnium potissimo, fere tota haec ars est posita, diligenter jam a nobis est explicandum.

PRIMO igitur dans Exercitia, quoad zelum suum ac desideria, tenetur omnia, quae diximus, animo generoso complecti, et in orationibus suis ad illa omnia coram Deo juvare suscipientem, ac promovere summo studio ac fervore, impetrando illi omnia haec bona : sed in praxi utendum est illi summa animi moderatione, continentia ac prudentia, ne fervore animi ductus, dum omnia per se vult ipse praestare, nihil consequatur.

SECUNDO. Intelligat, quod, cum solius Dei sit immutare cor hominis, illuminare mentem, accendere affectum, vocare ad statum quemcumque perfectionis, et praestare denique, quae per Exercitia ipsa praetenduntur, soli Deo etiam haec committenda sunt, ut immediate, sine ullius hominis operatione, illa omnia

1. Ann. 2 et 15.

in animo suscipientis operentur. Hinc, quamvis in se sit sanctum opus hortari proximum ad vota, invitare ad statum perfectionis, eadem persuadere motivis Scripturarum et exemplis ; et iisdem mediis a vitiis dissuadere, ad virtutum amorem multis et efficacibus stimulis impellere, suos defectus ut emendet clare detegere, dare meditationes plenas, in quibus et intellectus et affectus habeant quidquid in ea materia proponi possit, ut non illa tantum hora, sed pluribus meditetur : haec tamen omnia tempore Exercitiorum omittenda sunt ; nam, etsi fieri possit ut aliquis per ea moveatur et persuadeatur, id tamen per ipsa Exercitia non expedit : tum quia nescimus, quid Deus ab illa anima exigat ; et saepe dum temere, nostro ducti fervore, altiora persuademus quam possit praestare, gravissimum illi periculum ac malum injicimus : tum quia, cessante persuasione nostra, facile incidet in tentationem, quod spiritu humano adductus sit ad status mutationem aut similia, et non a Deo ; fietque instabilis, et in animi tristitiam incidet valde difficilem. Contra vero, cum a Deo immediate ducitur, gustu spirituali multo majore perfunditur, movetur vehementius, certior longe est de vocatione, et in proposito magis constans. Praeterea hoc agendi modo opus altissimum, quod est solius Dei, soli Deo relinquitur, damusque, quod est Dei, Deo.

Non desunt libri spirituales virtutum thesauris pleni atque eloquentissime et efficacissime sublimia quaeque persuadentes ; qui tamen divinas immissiones saepe praevertendo impediunt, cum idem omnibus aeque persuadere contendant.

Porro quot sunt singulares animae, tot sunt varia dona vocationis ac divini influxus. Summa igitur est ars atque prudentia dirigere spiritus singulorum eo solo fine ac modo ut cum Deo immediate conjuncti doceantur ab eo, quid ipsemet a singulis velit.

Id toto hoc divino libello verus magister hujus artis, S. P. Ignatius praetendit; ob id nullam eruditionem continet, nullam adhibet persuasionem; nihilque quod ad movendum affectum vi eloquentiae valeat; sed nude et simpliciter praecepta, regulas, puncta brevissima proponit, quibus anima ducatur ad Deum ipsum, ut sinat immediate Creatorem ipsum cum creatura (1), et hanc vicissim cum illo rem totam transigere. Certum est autem esse longe difficilius hoc secundum quam primum: non enim adeo difficile est virtutum praestantiam, vitiorum foeditatem, perfectionis culmen et similia, ex Scripturis ita depingere, ut legentes moveantur ac persuadeantur: at modum ac praecepta per puncta singulis accommodare, ut disponantur ad Dei consortium, et per illud consequantur quod praetendunt in rebus altissimis ac difficillimis, arduum est sine dubio et heroicum.

TERTIO. Sequitur teneri dantem Exercitia ad indifferentiam quamdam animi et aequilibrium, ut ait S. P. Ignatius (2), quoad omnia vitae instituta, vota, vocationes et alia hujusmodi; oportet nimirum ut ad hoc solum sit animo determinatus, ut animam sibi commissam velit promovere ad internam dispositionem ac praeparationem, qua apta fiat ut a Deo secundum ipsius beneplacitum illuminetur et dirigatur.

QUARTO. Hinc sequitur etiam, errare eos, qui in omnibus volunt ligare suscipientes Exercitia ad ea quae in se ipsis experti sunt, vel ad quae vocati sunt, et impulsi; non advertentes hanc esse pestem ac perniciem hujus artis; esse hoc ligare Deum et dare illi legem, ut agat cum alia anima quod fecit cum sua: cum saepissime et pro animae capacitate et pro divini

1. Ann. 15. — 2. Ibid.

beneplaciti executione in illa expediat longe aliud, quam id quod ipse sibi praefixit; debet igitur abstrahere a se ipso et ex regulis libelli accommodatis animae captui, ea quae illi expediunt, ut diximus, proponere.

QUINTO. Totam excellentiam artis hujus noverit in eo esse positam,ut observet motus bonos naturae ac gratiae, qui solent esse valde diversi. Nam, sicuti in complexionibus corporum contingit unum aegrotum purgari per sudorem, alium per aliam viam, et uni cibum unum, alii alium quadrare; sic etiam peritus medicus spiritualis, promovendo singulos pro variis divinae gratiae motionibus, debet eo deducere animam, ut possit cum Deo immediate tractare. Quidam enim, per timorem, alii per viam amoris, alii alio modo ducuntur, et pro varietate singuli sunt movendi, motus gratiae sequendo eo modo, quo medicus motus naturae.

SEXTO. Quum debeat anima praeparari intellectu et affectu, ut cum Deo immediate ac digne tractet, sequitur dispositionem animae, quam tenetur dans Exercitia in suscipiente procurare, in eo consistere, ut impedimenta duo tollat, scilicet, in intellectu ignorantiam, instruendo in his de quibus cum Deo immediate tractet; in affectu, omnes passiones inordinatas, ut collocetur in eodem aequilibrio ac indifferentia, quam diximus convenire danti Exercitia; nec inclinet sese magis in hunc quam in illum statum, et in aliis similiter; sed praebeat se tamquam tabulam rasam Deo, ut possit imprimere in ea quidquid ipsi gratius fuerit: quod fuse habetur in materia de electione.

SEPTIMO. Qui tradit Exercitia hoc potissimum curare debet, ut inducat suscipientem, superata quacumque difficultate, ad ea admittenda et observanda, quae illi praescribit, donec sentiat illum esse dispositum ad suscipiendum a Deo supernum lumen ac

instinctum. In quo duo extremi errores sunt vitandi : alterum, cum is qui exercetur ex animi tepiditate omittit servare, quae praescribuntur, et ob id nullam sentit in oratione commotionem aut agitationem variorum spirituum (1) ; et sine ullo fructu corticem tantum Exercitiorum attingit : alterum, cum vel tristitia aliove simili affectu, vel tentatione daemonis victus, inclinatur ad ea, quae deteriora sunt, ut expediat potius in contrarium niti (2), vel saltem suspendere omnem deliberationem : aut ex fervore consolationum praeceps est in promissiones ac vota (3) ; expedit autem in illis adjunctis nihil deliberare, et mature componere animum ad indifferentiam jam notatam, ut postea per regulas electionis illuminetur.

Octavo. Postquam animus suscipientis Exercitia fuerit a dante dispositus, aptusque ad consortium cum Deo, sequuntur variorum spirituum, boni scilicet et mali, agitationes, non sine gravi periculo ut a daemone illudatur. Juvandus est igitur primo, per regulas discernendi spiritus, ne decipiatur sub specie boni ; secundo, postquam secrevit ab aliis sanctas inspirationes, curandum est, ut his attendat easque perpendat, et inde, adjuncto studio ac conatu proprio, elicere sciat divinum beneplacitum ; quid scilicet Deus ab ipso velit, ut id strenue assequatur : haec autem omnia suo loco practice explicabuntur.

Ex dictis facile est colligere quomodo suscipiens Exercitia debeat correspondere huic quarto praecepto : *primo* enim, in his, in quibus est dirigendus a dante, debet ut parvulus praebere se facilem ac docilem et obsequentissimum in omnibus : *secundo*, acriter laborare ut exequatur quod praescribitur : *tertio*, indifferentiam illam curare, quam diximus, vitatis extremis

1. Annot 6. — 2. Annot 16. — 3. Annot 14.

tepiditatis et fervoris praecipitis ; in desolationibus suspendere deliberationem, quam tristitia suggerit ; in consolationibus cavere fervores anticipatos et immaturos : *quarto*, varios spiritus observare diligenter, et per diversas inspirationes, non sistere in consolationibus, sed potissimum quaerere in eis quid Deus ab illo velit ; quidquid illi patiendum sit ad hoc, ut id assequatur.

DE PRAEPARATIONE AD EXERCITIA SPIRITUALIA.

NIS praemissis, ad praxim magis particularem tum ex parte dantis tum suscipientis Exercitia descendamus, sequentes ordinem, quem in ipso Exercitiorum cursu a principio usque ad finem S. P. Ignatius tradit: *Primo*, enim omnium, qui Exercitia est facturus, disponendus est per efficacia desideria ad hoc opus: *Secundo*, sequitur recessus et horarum per diem dispositio varia: *Tertio*, instructio de his, quae immediate praecedunt exercitium: *Quarto*, dantur illi puncta quae meditetur: *Quinto*, meditationem sequitur collatio spiritualis suscipientis cum dante. Atque de his omnibus hoc etiam ordine tractandum est.

§ I. — *Praeparatio animi.*

IMPRIMIS igitur, supposita in suscipiente capacitate quam diximus, et voluntatis dispositione ac deliberatione, ante ingressum in Exercitia, excitandum est desiderium maximum eorum, ut, quo majori animi fervore fieri potest, rem tanti momenti aggrediatur.

Est autem observandum, quod, cum quis habet capacitatem, at nondum voluntatem, tenemur ex instituto curare, ut hujusmodi persuadeantur, et ad desideria faciendi Exercitia inducantur, sicuti discimus ex Constitutionibus.

Hoc autem duplici medio obtinetur, quorum alterum est instructio; reddendo de illis rationem, narrando fructus, et virtutem ac vim maximam quam habent ut per ea quis consequatur spiritualem perfectionem;

et alia ejusmodi motiva proponendo, ut, si quis sit, qui, ob solam ignorantiam, non utebatur Exercitiis, statim his auditis, disponatur. Alterum, ut cum ob tepiditatem, timorem difficultatis, vel alios affectus inordinatos retrahitur, nec instructio jam dicta sufficit : curet, pro qualitate morbi, ut moveatur ad hoc, ut experiri ea velit, incutiendo timorem, vel excitando amorem, vel aliis modis, qui non possunt ulla regula praescribi ; sed unctio Spiritus Sancti ipsa docebit, praemissa oratione, et supposito zelo vehementi animarum.

Postquam vero jam inclinat in ea, sequitur quod jam diximus, primum, per quasdam considerationes esse hanc voluntatem fovendam, quales possunt esse sequentes :

Ut cognoscat ac perpendat occasionem, quam habet optimam, tantorum bonorum, nec sinat illam praeterire : tum quantam copiam donorum et gratiarum per hoc medium consequi possit ; quot victorias reportare de diabolo et de propriis vitiis, quantam animi pacem et conscientiae tranquillitatem comparare, simul et virtutum thesaurum ; et hinc, quanta Dei gloria, gaudium in coelo, aedificatio ac fructus in proximo sint speranda. Contra, quot poenas timere debeat, quot subire pericula, quot et quantos conscientiae stimulos et animi afflictiones pati, nisi tantae gratiae correspondeat ; ac similia.

Per has autem vel similes considerationes curet ut accendatur vehemens desiderium, et inducatur dispositio illa, quae exquisite describitur a S. P. Ignatio, 1° scilicet ut accedat ad haec Exercitia suscipienda animo in Deum magno, quo nihil non speret ab ejus immensa bonitate, et Deo innixus nullam non superet difficultatem ; seque Deo omnino committat nihil penitus sibi reservando : 2° ut voluntatis suae vires, domi-

nium ac imperium in alias potentias omnes, et optet et omnino velit in hoc opere exercere, et in eo se totum occupare : 3° ut hoc assequatur, offerat Deo plene voluntatem, potentias et vires suas, ac studium suum, ad ejus gloriam et obsequium : 4° paratissimus sit, vel saltem esse desideret, ad exequendum divinum beneplacitum in omnibus ; et, actu profundissimae humilitatis, se tamquam mendicum pauperrimum, immo tamquam nihil coram divina majestate prostrando totum se det in omnibus gubernandum in manus illius et Instructoris, qui Deum repraesentat.

§ II. — *De recessu et horarum distributione varia.*

QUOAD recessum nulli dubium est, quin maxime expediat facturo Exercitia, ut penitus negotia alia quaecumque praetermittat, commercium humanum declinet ; et se recipiat in solitudinem, ab amicis notisque omnibus, et ab omni humanarum rerum sollicitudine se abducat. Immo, si fieri potest, a pristinis aedibus migret in locum et cellam secretiorem : haec enim secessio, ut ait S. P. Ignatius, est maximi meriti, et aptissima ad tollendas animi distractiones ; viresque spirituales in variis operibus antea dispersas colligit in unum, ut, collecta redactaque omni cogitatione et affectu, ad hoc unum opus toto pectore incumbat, et consequatur quod desiderat ; fiatque aptior ad attingendum citra medium Creatorem suum, ut ab eo superna gratiae dona recipiat. Huc etiam tendunt et cubiculi clausura, et lucis privatio, et oculorum demissio ac silentium, ut facilius animum colligat, dum orat. Ordo denique ac dispositio horarum, quinque scilicet per diem, licet ut plurimum usus obtinuerit ut, omissa hora qua media nocte surgitur, quatuor tantum exercitia interdiu adhibeantur.

In his autem omnibus haec sunt advertenda :

Primo. Quod si negotia tanti sint momenti aut servitutis aut obligationis, ut praetermitti non possint, satis erit horam cum dimidia meditationi tribuere singulis diebus (1), supposito animi desiderio efficaci ac fervente : et hoc idem est servandum, cum imminet periculum valetudinis, vel capitis debilitandi et similia.

Immo ex eodem S. P. Ignatio colligitur modus meditandi sine ulla horarum praescriptione ; qua ratione uti solent, qui aliquod negotium tota die ruminant, et saepe serio de illo cogitant; quo possent etiam uti illi qui, pro capitis debilitate, nec per mediam horam certam ac praefixam orare possent.

Secundo. Est etiam animi dispositio plurimum attendenda, nam tanta solitudo recessus et clausura melancholicos opprimere solent; et ideo est moderanda; quod etiam de timido et scrupuloso aut nondum his assueto dictum intelligi debet.

Tertio. Mensura ac regula omnium certissima in his, praeter ea quae dicta sunt, est fructus ipse ac finis, quem praetendimus : nam externa et corporalia habent pro scopo interioris hominis aedificium, ut ex. gr. recessus a commercio externo fit ut animus cogitationes et affectus ac sollicitudinem rerum mundanarum deserat ; recessus in cubiculum, ut se totum recipiat in cellam internam cordis sui ; clausura ac lucis privatio, ut sensuum distractionibus careat. Ob id adhibenda sunt media externa cum, sine illis, interna, quae illis correspondent, nullatenus, aut certe non sine difficultate, assequenda videntur ; secus autem sunt praetermittenda aut moderanda.

Quarto. Demum, si qui sunt in rebus sanctis semper occupati, qui sine ullo aut modico spiritus detri-

1. Ann. 19.

mento, immo cum progressu, in suis operibus externis se exercent, optime possunt dari illis Exercitia eodem modo, quo viris occupatis tradenda praescribuntur (1). Cum distractis vero ac tepidis, vel cum iis, qui talem recessum ex toto corde valde exoptant et expetunt, servetur recessus externus, qui valde utilis est, nec sine causa gravi praetermittendus.

§ III. — *De Instructione.*

ANTEQUAM accipiat quis puncta meditanda, praeveniendus est instructione hujus operis ut cum fructu in eo exerceatur ; quod prima, secunda ac tertia annotatione insinuatur.

Primo. Tradendus est ei modus orandi cum actibus suis ab initio ad finem usque, eo ordine quem superius jam exhibuimus ; brevius tamen aut fusius, ex toto vel ex parte, pro capacitate ac dispositione suscipientis.

Secundo. Intelligat et advertat summopere, duplici ratione posse exerceri modum illum orandi, quarum altera est superficialis, altera efficax et fructuosa.

Differentia autem utriusque rationis pendet ex discrimine inter orationem et exercitium spirituale. Colligitur autem ex S.P. Ignatio discrimen consistere in hoc, quod oratio sistit in quadam mentis contemplatione et gustu et affectu illius : at exercitium praeterea est quid practicum ; et lumen intellectus, sapientiae ac prudentiae in rebus agendis continet tam efficax, ut anima vere intus renovetur, ad opera bona impellatur et melior per donorum divinorum effusionem evadat. Ob id in prima Annotatione, instituta comparatione cum exercitio corporali, quo calor excitatur, corpus roboratur et actiones ejus vegetiores evadunt : dici-

1. Annot 19.

tur valere Exercitia spiritualia ad tollendas affectiones inordinatas, necnon ad quærendam et inveniendam Dei voluntatem circa vitae institutionem et salutem animae.

Alibi autem, ait, primum modum orandi non tam esse orationem quam exercitium, *per quod et anima juvatur, et oratio fit Deo acceptior.* Denique, paulo inferius, docemur per divinam gratiam et Exercitia spiritualia parandas esse virtutes peccatis mortalibus septem oppositas (1).

Hoc autem lumen in totam vitam hominis continuo influit, et eum efficaciter immutat ; in eo superat exercitium spirituale orationem quamcumque aliam.

Quod si quis percurrat universa haec Exercitia, clare intelliget in illis praxim omnium bonorum contineri, cui correspondent a Deo dona infusa proportionata. Habent enim :

1° Vim purgandi animam a quocumque vitio mortali et veniali, tum actu tum habitu, usque ad causas et radices, et quacumque imperfectione, per primam hebdomadam, addita instructione rectae conscientiae :

2° Illuminandi circa statum propriae vocationis, per ejus electionem vel emendationem, quoscumque cujuscumque status et conditionis homines :

3° Comparandi omnes virtutes, et emendandi omnia vitia per imitationem vitae Christi, per ea quae habentur de via illuminativa in secunda hebdomada :

4° Continet totam theologiam mysticam, qua unitur anima Deo charitate omnium summa, ut habetur in mysteriis Christi ab institutione Coenae usque ad finem, et in contemplatione ad divinum amorem obtinendum.

Denique per Exercitia spiritualia anima, sublatis

1. De 1° orandi modo.

omnibus impedimentis, fit tamquam tabula rasa Deo, et aptissima ad divini beneplaciti executionem. Inde vero manant dona a Deo infusa ad praestanda omnia, quae diximus, cum discretione malorum spirituum a bonis, ut illis rejectis hos sequamur. Hoc autem quod diximus, clarius in intellectu tum in voluntate, tum in opere ipso est explicandum :

Intellectus potest de rebus divinis edoceri, 1° per conceptus altos et exquisitos, aliunde acceptos, vel ingenii subtilitate et eruditione comparatos aut his similes :

2° Per practica lumina et principia : ex quibus licet quis rudi sit ingenio, et species rerum divinarum viles efformet, vixque valeat de his verba proferre ; summam tamen existimationem habeat de Deo, ac de rebus divinis, et inde timorem et reverentiam cum maxima pietate ac religione concipiat, statimque ac auditu, lectione aut sensu quidquam percipit rerum divinarum, repletur admiratione et submissione erga illas.

Primum est superficiale, propter quod paucorum est, cum oratio debeat omnibus, quantumvis rudibus, esse communis. Secundum est illud proprie, quod in Exercitiis ab anima exigitur, et dicitur practicum, quia habet in se efficaciam movendi ad operandum ; cum primum ex se sistat in sola contemplatione veritatis: est autem hoc lumen non solum de rebus agendis, ut de virtutibus, de vitiis vitandis, et similibus ; sed etiam de Deo, de Trinitate, de mysteriis fidei, circa quae ita versatur, ut moveat similiter ad opera virtutum. Porro, in istis sublimioribus practica haec lumina non curant ea quae curiosam et subtilem intellectus speculationem fovent, sed quae apta sunt nutrire affectum et devotionem. Ut ex. gr. de Dei essentia, necessitate in essendo, ut aiunt, immutabilitate, aeternitate, independentia et de ceteris

divinis attributis, de divinis processionibus, et aliis hujusmodi, sobrie admodum consideranda proponit. Multi enim sunt horum omnium incapaces, qui tamen aptissimi sunt ad donum orationis. Verum attente praecipit considerare Deum creasse omnia ex nihilo; providere omnibus; numerare capillos ac folia; posse infinita; in infernum dejecisse de coelo innumeros pene Angelos; tremere coram eo supremas potestates; esse summae misericordiae ac bonitatis erga bonos; et similia, quae movent ad stuporem, submissionem, actum latriae ac recognitionis, et alios devotionis affectus; instruunt, pascunt ac erudiunt; erigunt ad studium rerum coelestium, ad contemptum terrenarum; somnum desidiae excutiunt; spiritum reddunt cautum ac continuo vigilantem; errores ac tenebras intellectus dissolvunt, bona omnia suadent.

Potissimum vero hoc lumine proponuntur de fine ultimo, de virtutibus, de omni bono agendo ac malo declinando, multa praecepta, ut maximum apparatum ac thesaurum omnium bonorum intellectus habeat, quem voluntati proferat.

Hoc est lumen illud, quod in Exercitiis maxime curatur: quae omnia suo loco proponentur.

Satis sit modo unicum afferre exemplum primae hebdomadae, in qua Dei majestatem proponit per justitiam castigantem, et per misericordiam condonantem peccata. In mysteriis etiam de Christo S. P. Ignatius imitationem ejus virtutum semper inculcat.

Quoad affectum, ex primo lumine solet in voluntate nasci delectatio, et gustus valde suavis, qui lacrymas aliquando excitet, suspiria, gemitus, et nihil praeterea; quo fit ut qui hujusmodi orandi modo sunt dediti, saepe multas horas in oratione explentes, deinde fiant impatientes, et de minimis turbentur; nam gustu illo ces-

sante, cetera omnia sunt illis gravia, ac ipsimet fiunt aliis molesti ; non raro proprii judicii tenaces nimium, et passionibus suis, sub specie quadam spirituali, valde obnoxii reperiuntur. At efficacia in affectum manans ex secundo lumine intellectus, passiones mortificat, desideria virtutum solidarum parit, non inebriat vana sui aestimatione, sed compunctionem aliaque bona plura inducit.

Quoad opus denique, primum lumen retrahit a labore, zelum in proximum minuit ; quoniam omnia haec impedimenta esse existimantur ac detrimenta spiritus, id est proprii gustus. At secundum, quod maxime est proprium nostri Instituti, est adeo efficax, ut desideria excitet patiendi, laborandi, juvandi proximum, versandi cum eo; et ob ejus salutem, cum expedit, orationem et omne proprium commodum relinquendi, et cunctarum virtutum opera ac potissimum charitatis fraternae exercendi.

Ad haec igitur hortandus est ac promovendus, qui facit Exercitia. Tum vero, ut consequatur hoc divinum lumen, quo penetret interiora velaminis, intelligat unicum ac potentissimum medium esse animi submissionem, qua de se sentiat vilissime, et de divina bonitate confidat plene, seque totum illi committat. Et haec animi submissio est veluti clavis, qua aditus aperitur ad hoc lumen, de quo, qui plura velit, legat quae in materia de oratione diximus in opere *De disciplina interioris hominis.*

Satis autem hic sit perpendere, ideo S. P. Ignatium, in ipso limine orationis, id est in tota prima hebdomada Exercitiorum, ante omnia proponere quidquid ad cognitionem pravitatis peccati, ac miseriarum humanarum pertinet, ut non solum dum in illa versantur, qui Exercitia faciunt, sed semper in tota vita, cum orare volunt, initium sumant orandi ab illa submissione,

quae his verbis describitur : *Inspiciam corruptionem mei totius, pravitatem animae, atque corporis foeditatem, et me tanquam ulcus sive apostema esse ducam ; ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluxerit* (1).

Praeter haec, multa alia, quae de oratione ibidem tractavimus, inde desumi poterunt ad pleniorem ejus instructionem, his tamen servatis, quae in tertio praecepto saepius admonuimus.

§ IV. — *De dandis et explicandis exercitiis.*

QUARTO loco post omnia jam dicta sequitur ut, qui hanc curam suscepit, incipiat dare Exercitia alteri, ut ea meditetur.

Circa hoc autem 1° notum est nullam esse animam, quae aliquando non sit capax et apta, ut Deus cum illa immediate tractet in oratione : quod, tamen vix ulla consequi potest per se sola, nisi instruatur ac juvetur ab alio ; et huc tendunt Exercitia, uti diximus, ut scilicet, apta cum sit a natura, sed ignorantia, vel inexperientia, vel aliunde impediatur, quominus possit per se ratiocinando ac meditando cum Deo colloqui, et ab eo commoveri, et quae agenda sunt, quae vero cavenda discernere : at per industriam ejus, qui dat Exercitia, excitetur in ea hoc lumen, quo postea per se ipsam utatur.

2° Ut haec praestet ille qui alium dirigit, duo requiruntur :

PRIMUM est, ut materiam orandi totam ordinatam, ac per puncta digestam proponat alteri, qui in ea meditetur : haec autem materia habetur in libello per quatuor hebdomadas, et per singulas formulas, quae S. P. Ignatius vocat Exercitia, digesta et ordinata.

1. Secundum Exerc. primae Hebdom.

Alterum est afferre brevem declarationem eorum, quae in Exercitiis habentur, circa quam tria docet: 1° Ut sit brevis, cum ait: *Adjuncta solum brevi declaratiuncula:* 2° Dat regulam ac mensuram brevitatis cum subjungit: *Ut is qui meditaturus est, accepto veritatis historicae primum fundamento, discurrat postea, et ratiocinetur per se ipsum.* Est autem sensus: declarationem illam eo usque tantum debere progredi, quo illius mysterii sensum percipiat, et ex se discurrendo superaddat reliqua, ac immediate cum Deo tractet: 3° Explicat hujus praecepti causam, cum addit: *Ita enim fiet, ut dum aliquid invenerit..., gustum delectabiliorem et uberiorem fructum percipiat... non enim abundantia scientiae, sed sensus et gustus rerum interior desiderium animae explere solet* (1).

Quibus verbis clare in primis distinguit lumen speculativum, quod appellatur abundantia scientiae, a lumine practico, quod vocat sensum et gustum internum. Indicat praeterea utilitatem ac fructum Exercitiorum consistere non in primo, sed in secundo; quia desiderium animae, id est vis illa practica ad bene operandum, quae exercetur per efficacia desideria, non satiatur scientia ac speculatione, sed sensu ac gustu intimo, per quem purgatur, illuminatur atque perficitur. Deinde, punctis brevem declarationem esse adjungendam, tum permittendum ut per seipsum conetur, discurrat, actus multos eliciat, illustretur et accendatur immediate a divino Spiritu, et efficaciter promoveatur ad opus. Colligitur etiam, modum hunc orandi per Exercitia esse practicum, ut diximus; sicut enim in ceteris artibus, ut ex. gr. in grammatica dat praeceptor discipulo thema, tum sinit illum ex se laborare, et ex suo aliquid addere, ut locum habeat inventio et

1. Annot. 2.

conatus discipuli, sine quo numquam addisceret artem grammatices. Ita et qui docet musicam, si solus coram discipulo cantaret, deinde abiret, is delectaret quidem audientem at non instrueret ; propterea necesse est ut ipse quidem incipiat, ac deinde discipulum sinat propriam vocem exercere tam frequenter, ut demum comparet habitum musices. Similiter et orationis magister, incipit quodammodo, cum dat puncta alteri et brevissime declarat ; tum sinit, ut alter per seipsum prosequatur, et cum Deo tractare ac illi uniri assuescat.

Est autem advertendum declarationem hanc non debere esse ejusdem tenoris ac brevitatis cum omnibus; quod et ex verbis S. P. Ignatii et ex praxi aperte colligitur.

PRIMO enim, cum haec declaratio tendat ad excitandum lumen et affectum in alio usque ad eum terminum, quo possit ipse per se propria inventione orare ; nec tam brevis sit oportet, ut nullum habeat aditum ad ratiocinandum per se, nec adeo longa, ut non supersit, quod per se ipsum inveniat. Et quoniam certum est quosdam esse aliis tardiores, magnamque esse ingeniorum et affectuum diversitatem, hinc sequitur fore ut, quae uni est brevis, alteri sit nimia, et e contra ; magisterii igitur dexteritas in eo posita est, ut cum singulis pro eorum captu et aptitudine agat, omnesque eo deducat, ut Deo immediate conjungantur, et ab eo dona coelestia consequantur.

Verba igitur illa : *adjecta solum brevi declaratiuncula*, non aequalem omnibus praescribunt, sed ad eam mensuram, ut is, qui meditaturus est, discurrat postea, et ratiocinetur per se ipsum, ut ait S. P. Ignatius ; estque varianda pro personarum varietate : potest autem dici eamdem esse brevitatem cum omnibus, servata propor-

tione, quia scilicet singulis datur id quod expedit, ut per seipsos progredi et cum Deo colloqui possint.

Postremo, quamvis non possit hujus declarationis regula certa praescribi, experientia tamen constare dicimus, quatuor esse genera eorum, qui Exercitia faciunt. Primum est eorum, qui et natura et voluntate et gratiae stimulis sunt valde capaces ; et iis pro declaratione haec puncta nuda sufficiunt, cum per se apti sint magno cum fructu ex se ratiocinari.

Sunt alii mediocres in his omnibus ; in his praeter puncta adjicienda est brevis declaratio, ut per eam juventur ad propriam inventionem : haec autem debet esse rerum essentialium et obscuriorum, circa praecipua capita eorum quae in punctis ipsis continentur ; quod facile est homini perito ac prudenti.

Sunt alii, qui in meditando tardi sunt valde et steriles, ac omni fere inventione destituti, apti tamen ad percipienda quae illis dicuntur ; et his necesse est declarationem longiorem cum exemplis adhibere, per quam ita dilatentur puncta, ut compensetur tarditas ingenii, et excitetur lumen illud modicum inventionis, quod habent. Saepeque contingit intelligi ab eisdem hoc medio sensum mysterii, quem numquam alias percepissent ; daturque aditus ad commovendum affectum ac multos actus eliciendos. Possunt etiam juvari lectione meditationum S. Augustini, et similium, dummodo non satientur lectione sola, sed ab illa tantum stimulos accipiant quibus utantur ad progressum orationis.

Sunt demum rudes et incapaces, quibus puncta paucissima danda sunt cum brevissima declaratione, addito exemplo sensibili. Haec autem deduci ex verbis et sensu S. P. Ignatii facile intelliget quisquis ea mature perpendere voluerit.

Modus autem tradendi puncta is debet esse, qui efficacior sit ad ea imprimenda in animo ejus qui facturus est Exercitia, et qui similiter pietatem ac devotionem prae se ferat, zelumque illius animae cujus habet curam : sicque prius intra se perpendat, et in seipso experiatur, quae alteri tradit, ut ex hac abundantia cordis loquatur. Et propterea expedit ea prius oretenus proponere ac breviter explicare ; ut hoc vitali verbo operetur efficacius in animum alterius ; sicut et verbum Dei longe vehementius movet animum, cum pronuntiatur, et per auditum suscipitur, quam cum scriptum legitur ; postea vero poterit dare puncta scripto, ne memoria excidant.

§ V. — *De collatione spirituali.*

Acceptis punctis et eorum declaratione, debet, qui facit Exercitia, dare se meditationi, nihil pro lubitu, sed omnia juxta praescripta exequendo. Poterit tamen puncta sibi data, quoad numerum augere vel minuere ; tum studium et attentionem ad tantum opus adhibeat ; horamque integram, sibi praefinitam, excedat potius quam praetermittat.

Tum post meditationem, aliquo brevi scilicet temporis spatio, examen faciat de illa, ut fortius imprimat in animum ; utque possit de illa rationem reddere, et per se ipsum, et per alterius directionem, errores emendare : propterea enim praescribitur examen particulare de exercitiis, cujus tamen ratio tam exacta ac minuta per illas lineas, in rudibus, aut his, qui memoria non pollent vel imaginatione, vel ad scrupulos propensi sunt, est moderanda. Expedit etiam, ad majorem fructum, notare praecipua capita eorum, quae illi a Domino in ipsa oratione communicantur ; et hinc animari et erudiri ad continuum et majorem progressum in ea.

Peracta meditatione, semel aut bis in die, magna cum animi puritate ac fiducia, illi a quo suscipit Exercitia, reddat de eis rationem ; et hic ab eo vicissim hanc exigat. Hujus autem communicationis scopus est instruere et recreare suscipientem, ad hoc ut omnia consequatur quae per Exercitia praetenduntur. Primo igitur ex eo intelligat modum orandi, ut, si erraverit, paulatim ac suaviter corrigatur, et in orandi arte promoveatur.

Exprimat deinde suscipiens varios affectus, quos in oratione sentit, vel consolationem vel desolationem, ut in eis dirigatur juxta regulas, de quibus suo loco dicetur. Circa divinas inspirationes similiter hoc idem praestandum erit. Communicet etiam desideria, proposita bona, ut in his praecipitantia ac fervor nimius, potissimum autem in deliberationibus et votis, temperetur per indifferentiam et per regulas electionis, si opus sit, vel extremum aliud tepiditatis vitetur. Sunt denique discernendi boni spiritus a malis, ut his vitatis illos sequatur.

Cum hac frequenti communicatione et variae tentationes detegantur et vitia, curandum erit quam maxime ut et instruatur plene circa modum resistendi diabolo illumque expugnandi, et, pro necessitatis cujuscumque opportunitate, exercitia quaedam praescribantur, quae sint veluti remedia vitiorum omnium, ut aperte S. P. Ignatius tradit; iisdemque vitiis propria examina adhibeantur.

Horum autem omnium instructio plena habetur in primis quinque gradibus *Disciplinae* nostrae, quam in eum finem composuimus, ut animarum duces periti essent et versati in iis omnibus, quae idem S.P. Ignatius in Constitutionibus non semel ab illis requirit. Ex iis autem quae diximus hactenus, sensus patet annotationum viginti, quae in libello habentur : nunc jam ad explicationem quatuor hebdomadarum veniamus.

EXPLICATIO PRIMAE HEBDOMADAE.

§ I. — *De prima hebdomada generatim.*

JUSTITIAE divinae perfectio in eo consistit, ut declinemus ab omni malo atque peccato, et faciamus omne bonum. Primam igitur deliberationem, primumque propositum animi christiani, illud esse decet, ut quis purgari velit ab omnibus peccatis : et hic est primae hebdomadae scopus, qui propterea, teste ipso S. P. Ignatio, ad viam purgativam pertinet.

Haec porro hebdomada primo iis quadrat, qui a peccatis mortalibus antea commissis liberandi sunt per gratiam justificantem, facta confessione generali. 2° Potest eadem applicari iis, qui sunt in gratia, ut securiores sint, renovando contritionem et confessionem ; idque potissimum quando rationabiliter dubitant de valore praeteritarum confessionum. 3° Ad excitandum timorem, compunctionem et poenitentiae habitum ac virtutem qua, etiamsi sit justus quis, se coram Deo summum peccatorem existimet et esse protestetur, ac facile frequenterque de peccatis, tum suis, tum aliorum, compungatur ; ut in hac humilitate, tamquam fundamento unico perfectionis, cor suum stabilire possit. Juvat etiam ad zelum animarum comparandum, ut mortalia peccata proximorum nostrorum summe abhorrentes, curam eorum suscipiamus, et pro viribus ex charitate procuremus. 4° Dari autem potest ac debet in odium ac detestationem peccatorum venialium : ad emendationem tepiditatis et malorum habituum, qui contracti sunt ex peccatis mortalibus, et remanent etiam in justis : ad mortificationem denique passionum.

Patet hinc amplitudo hujus primae hebdomadae per variam ejus applicationem, qua omnia hominum genera continentur ; cum nullus sit vel gravissimus peccator, qui per hanc non possit purgari ; nec tam sanctus, qui aliqua saltem levium peccatorum, et causarum ac radicum emendatione non egeat. Cum autem S. P. Ignatius in libello mentionem tantum faciat primae applicationis, eorum scilicet qui de peccatis mortalibus anteactis instituunt confessionem, clare nihilominus colligitur, mutata materia, in aliis scilicet omnibus connumeratis, servandam esse sua proportione eamdem formam ; quod in ipsa explicatione singularum partium primae hebdomadae apertius demonstrabitur.

§ II. — *De principio et fundamento.*

ANNOTATIO ante fundamentum huc tendit, ut in communicatione totius interioris hominis, quae fit in dandis et accipiendis Exercitiis, ea animi simplicitate et puritate ex utraque parte, dantis scilicet et recipientis, procedatur ut, quidquid inter eos voce exprimitur, in optimum sensum excipiatur. Cum enim illud verum sit, quod ait S. Jacobus apostolus : *Si quis in verbo non offendit : hic perfectus est vir* (1) ; et ut Sapiens habet : *In multiloquio non deerit peccatum* (2) : decet et expedit valde, ut, quidquid linguae lapsu circa doctrinam aut mores profertur, sancta quadam dissimulatione silentioque involvatur, vel pia ac suavi correctione emendetur, pace ac fiducia mutua illaesa servata, cum sine his communicatio ea, quae ad Exercitia tradenda et accipienda necessaria est, vix consistere nec diu durare possit.

EXPLICATIO : *creatus est ;* ex nihilo scilicet

1. Epist. cathol. iij, 2. — 2. Prov. x, 19.

factus ; ex se igitur homo nihil est, et in nihilum tenderet, nisi a Deo conservaretur; *homo*, non insensatum quid, aut planta, aut animal, aut angelus, sed ex his omnibus, et haec omnia, alter quasi mundus, et Deo maxime similis.

A Deo, summo bono, nullo indigente, ex mera ejus liberalitate.

Ad hunc finem, ut Dominum Deum suum laudet ac revereatur; interno scilicet cultu adorationis et laudis, voce etiam expressa.

Eique serviens, id est omnia opera sua ex toto corde, tamquam Dei mancipium, ac ab eo redemptum in ejus honorem ac gloriam ei tamquam sacrificia exhibendo. Hoc enim significat proprie latria, perfectionemque summam evangelicam continet juxta illud: *Ut... serviamus illi in sanctitate et justitia... omnibus diebus nostris* (1): ne scilicet quidquam nisi mundum ac sanctum Deo offeratur.

Tandem salvus fiat ; boni scilicet illius sempiterna fruitione, quae est Deus ipse, qui sua cum sit beatitudo est etiam beatitudo hominis.

Reliqua vero supra terram sita ; tot scilicet numero, tamque praeclara et spatiosa, maxime vero simul omnia, quibus pulcherrima machina mundi constat, *creata sunt ipsius hominis causa ;* in ejus scilicet commodum et oblectationem maximumque honorem, cum factus sit omnium rex atque dominus.

Ut ad eum finem, et quae sequuntur. Omnia creata ad Deo serviendum promovere hominem apta sunt, hacque mensura est omnibus illi utendum.

Quapropter debemus et quae sequuntur. Determinatus debet esse homo ad finem suum altissimum, et ad eum usum creaturarum, qui huic fini deserviat: ad cetera

1. Luc. j, 74 et 75.

vero omnia indifferens, divinoque beneplacito ac paternae Dei providentiae in omnibus obsequens.

ANNOTATIONES : PRIMO. Notandum est totam perfectionem evangelicam in hoc fundamento contineri, ut ex se patet, eamdemque primo ingressu in Exercitia a S. P. Ignatio requiri quoad hoc desiderium ac propositum. Cum autem ex alia parte constet, status electionem ei, qui nondum eam fecit, relinqui in dubio ac aequilibrio, ut scilicet indifferens ad omnes status, per regulas deinde electionis unum eligat : sequitur non esse ei tunc deliberandum, debeatne perfectionis evangelicae viam sequi an secus. Nam, cum ad hanc omnes christiani aeque teneantur, sapientissime S. P. Ignatius, in ipso limine, propositum firmissimum hujus perfectionis requirit ab omnibus, sed liberum et indeterminatum, hoc proprio arbitrio facientis Exercitia concedens, ut particularem statum saeculi, vel religionis, vel officii eligat, in quo perfectionem omnibus communem ac necessariam inquirat et consequatur.

SECUNDO. Notandum est ex hac finis hujus eminentia in fundamento expressa, tamquam ex mensura (finis enim est omnium, quae ad finem sunt, regula ac mensura), velle S. P. Ignatium ut in toto progressu ac decursu Exercitiorum cetera omnia deliberentur, atque illi subjicerentur. Compunctio igitur peccatorum, et emendatio vitae, quae primae hebdomadae est scopus, eo major ac intensior efficitur, quo per peccatum a tam alto fine excidisse se perpendit Exercitia suscipiens ; et similiter propositum emendationis in posterum fortius elicitur et constantius ; indeque deduci haec omnia debent. In secunda hebdomada, in praeludio electionis, idem hoc fundamentum repetitur, ut electio

omnis per regulas suas ex eodem fine pendeat et mensuretur, ut ibi dicemus.

TERTIO. Notandum est posse fundamentum dari vel ei, qui, cum non habeat, statum certum est electurus ; et huic satis erit, si detur prout jacet, addita declaratione nostra vel meliori, cui posset etiam adjungi meditatio de animae suae nobilitate, quae scilicet a Deo est creata, ab aeterno in mente ejus est collocata, per Christum redempta, ad Dei filiationem adoptivam elevata, Christi facta cohaeres, divinaeque consors naturae, et alia ejusmodi : ut altitudinem finis ac status, in quo est creatus a Deo, considerans, et ad se conversus, in singulis, quae a Deo accepit, conspiciens, quantum culpa sua elongatus sit a Dei patrocinio, et omnia in malum perverterit : occasionem hinc sumat confusionis majoris, ac compunctionis suorum peccatorum. Vel datur idem fundamentum ei, qui in proprio statu recte et constanter vivit, nec eget ulla ejus mutatione: et huic expedit, ut conjungat cum meditatione finis sui, quae in fundamento habetur, aliam de suo statu, ac vocatione ad eum ; deque legibus sui instituti, consideretque se creatum a Deo, tum simul vocatum esse ad talem statum, puta matrimonii, religionis, episcopatus, dominii, vel alium quemcumque. Nam perfectionem illam, quam in fundamento proponit S. P. Ignatius, tenetur quilibet inquirere et mensurare ex legibus sui status, peccata sua examinare quae contra status sui obligationem et leges commisit, ac de illis compungi, et virtutes suo statui convenientes eligere, et circa eas emendationem totius vitae suae in secunda hebdomada praescriptam facere, ne scilicet peregrino spiritu, vel alieno a suo instituto ducatur, et in illusiones daemonis incidat. Propterea Instructor tenetur ex officio habere statuum omnium eruditionem, ut in singulis

possit singulos promovere ; eisque spiritualia exercitia accommodare,de qua materia fuse tractavimus in sexto gradu nostrae *Disciplinae*, unde haec omnia sunt petenda. Et haec de fundamento ; quae sequuntur de triplici examine, superius explicata sunt ; ibique admonuimus examen generale pro varietate materiae peccatorum, scilicet de quibus fit purgatio, necnon et status, in quo vivit, qui Exercitia suscipit, esse variandum.

§ III. — *De exercitiis primae hebdomadae.*

QUOAD *primum Exercitium*. De oratione praeparatoria ac praeludiis dictum est in capite de oratione : praeludium autem proprium hujus Exercitii satis per se clarum est.

Primum punctum a peccato Angeli orditur S. P. Ignatius tanquam a primo omnium peccatorum fonte, a quo manarunt et etiamnum manant omnia peccata, et in quo omnia continentur. Nam vere daemon fuit latro, homicida, idolorum cultor, apostata, nullumque peccati genus est, nullius casus aut lapsus, quod in ejus scelere non sit aliqua ratione expressum. In malitia autem tanta, id est omnium scelerum, et in eorum communicatione, procuratione ac propagatione in mundum, obstinatissime semper, *tamquam leo rugiens*, furore maximo est occupatus ; *circuit* enim *quaerens quem devoret* (1). Est autem proprium munus Instructoris, sua dexteritate ac peritia, ex tanta tot peccatorum mole, illis peccatis, quae sunt propria exercentis se, a quibus vult purgari, et statui, in quo ille vivit, accommodare quadam proportione casum hunc Luciferi, ut intelligat esse daemonem ideam seu exemplar et architectum omnis malitiae. Ut ex. gr. religioso

1. I Pet. v, 8.

homini, qui contra suum institutum in multis erravit, vel ab eo declinavit, explicet casum Luciferi fuisse apostasiam, discessisse illum ab obedientia Dei, per superbiam ; a castitate spiritus, per inordinatum sui amorem ; a paupertate, usurpando sibi divina injuste : et in aliis similiter. Denique, ut compunctionem hanc eliciat, posset meditari in casu Luciferi nobilitatem suae substantiae, ignobilitatem humanae naturae lapsae, eminentiam donorum illius, et suam vilitatem : unicum peccatum commissum a Lucifero, se vero plurima perpetrasse : cognitionis tantum et affectus fuisse actus illius ; se vero, praeter haec, tot opera prava fecisse ; ut cum non pepercerit illi Deus, intelligat quanto severiorem justitiam sit ipse promeritus ; et cum, illo condemnato, hominem Deus salvaverit, quantum homo debeat tantae misericordiae et charitati.

In secundo puncto, similia prorsus cum proportione quadrant peccato Adae ; at sapienti pauca.

Quod ad tertium punctum attinet, de gravitate peccati mortalis, in primo gradu nostrae *Disciplinae ;* de veniali autem et omnibus vitiis, in gradibus quatuor sequentibus dictum est ; unde potest desumi. De colloquiis jam diximus in materia de oratione.

Secundum Exercitium non eget declaratione quoad primum ac secundum punctum. Tertium est aptissimum ad humilitatem coram Deo per sui cognitionem comparandam, de qua superius attigimus. In quarto constat, quod etiam adnotavimus, a S. P. Ignatio attributa divina et Dei majestatem modo practico dari ad meditandum, cum ait: *Cogitare quid sit Deus, quem ita offendi, collectis comparatisque perfectionibus attributis Deo, ut propriis, cum oppositis meis vitiis ;* et quae sequuntur.

Repetitiones duae sequuntur ad majorem et plenio-

rem considerationem omnium, et motionem affectus : quae omnia, si quis sit jam consecutus, omitti possunt ; et ut plurimum sunt arbitrio ac devotioni facientis Exercitia committenda.

De inferno et aliis novissimis facile est unicuique meditationes formare. Cum autem peccatum deleatur per gratiam, utile erit gratiae divinae justificantis et sanctificantis praestantiam meditari ; de qua in primo gradu operis *De disciplina interioris hominis* multa habentur.

Denique notorium est fructum hujus hebdomadae in eo esse positum, ut quatuor illos gradus consequamur, quos in persona Paphnutii abbatis ex novem connumerat Cassianus (1). *Primus* est timor Dei, qui ex consideratione peccatorum et quatuor novissimorum excitatur. *Secundo*, ex timore oritur compunctio, de qua S. P. Ignatius : *Ut internam criminum nostrorum cognitionem et detestationem sentiamus* (2). *Tertio*, ex compunctione oritur rerum omnium hujus mundi, quatenus occasionem peccandi praebent, renuntiatio affectu, effectu autem in iis tantum, qui ad hoc vocantur ; de qua idem S. P. Ignatius : *Ut, perspecta et damnata mundi pravitate, a rebus mundanis ac vanis nos recipiamus* (3). *Quarto* tandem, ex harum rerum nuditate, nascitur humilitas, qua etiamsi justi simus, ex nobis tamen summos nos esse peccatores agnoscimus coram Deo, et ejus misericordiae et gratiae bona omnia accepta referimus, ab eaque continuo dependentes tamquam miserrimi ac mendici, eam continuo recognoscamus, ne ullae reliquiae in nobis residuae sint illius pelagianismi spiritualis, in quem multi non advertentes incidunt ; et de hac sancta submissione S. P. Ignatius recte loquitur, cum ait : *Me tamquam ulcus*

1. L. 4. *De inst. monac.* c. 43. — 2. Colloq. 3ii Exerc. 1ae Hebd. — 3. Ibid.

sive apostema esse ducam, ex quo tanta sanies peccatorum, tantaque vitiorum lues defluxerit. Ad hanc autem humilitatem comparandam ac continuo retinendam juvat ipsius gratiae meditatio : quae ex his, quae habentur in primo gradu, facile formari potest. Ex his autem quatuor gradibus, qui interni sunt, animumque componunt ad habitum supradictum compunctionis suorum et proximi peccatorum, et ad alia quae diximus, externe manare debet continuus usus et habitus poenitentiae, qui toto vitae cursu est retinendus tamquam aliarum virtutum fundamentum : ea tamen moderatione ac discretione, quam status et conditio singulorum requirit. De poenitentia vero tractat S. P. Ignatius clare ac fuse in additione decima. Additiones autem ceteras, vel jam explicavimus, vel utpote ex se claras omittimus. Et haec de prima hebdomada.

EXPLICATIO SECUNDAE HEBDOMADAE.

EXERCITIA spiritualia secundae hebdomadae animam a peccato mortali liberam, et in prima gratia corroboratam requirunt per ea, quae in prima hebdomada habentur: tum etiam omnium peccatorum leviorum, et omnium malorum ac imperfectionum seriae emendationis firmum propositum, et omnium virtutum ac bonorum consecutionis desiderium efficax. Cum autem haec emendatio et virtutum studium conatum majorem, et temporis spatium requirant, sequitur post primam secunda hebdomada; quae pro scopo habet eamdem emendationem excolere ac promovere, traditis etiam virtutum acquirendarum regulis atque praeceptis. Comprehenditque personas omnes omnium conditionum ac statuum, quibus ante omnia certum vitae genus in quacumque vocatione eligendum proponitur; tum vero malorum quorumcumque emendationem, et virtutum electionem ac modum praescribit; et quidquid superest purgandum in anima, quidquid ad viam illuminativam pertinet, plenissime complectitur; universaeque theologiae moralis praxim exquisite docet. Cum autem morum haec emendatio et vitae in omnibus christianis virtutibus institutio sit difficilis, antequam ad horum electionem deveniat, serie quadam ac methodo diligenti animam praeparat hisce exercitiis quatuor:

1° De regno Christi,

2° De duobus vexillis,

3° De triplici hominum classe,

4° De tribus modis humilitatis.

Addit autem imitationem Christi in omnibus his, tamquam summae ideae ac exemplaris nostri, qui in carne nostra actiones humanas, ac quodammodo materiales, forma excellentissima virtutum suarum exornavit atque illustravit, ut nobis earumdem virtutum praeberet exemplum insigne; ac propterea, inter quatuor illa jam notata capita, S. P. Ignatius omnium mysteriorum Christi contemplationes et exercitia immiscet. His autem traditis, praeludium electionis, tum ejusdem electionis modos varios assignat.

§ I. — *De regno Christi.*

PRIMO igitur, sub specie ac symbolo nobilissimo, proponit nobis ob oculos totius vitae Christi et actionum ejus ac virtutum, divinum cursum et consummationem : suis enim divinis operibus, laboribus, meritis, passionibus, sua denique morte, Christus Dominus animarum atque creaturarum omnium ac totius mundi regnum imperiumque, a daemone per tyrannidem injustissime usurpatum, mortisque, miseriarum hujus vitae, peccatorum, et ipsius aeternae damnationis servitute oppressum, illi eripuit ; sibi tamquam legitimo domino recuperavit ac principi ; hominemque ab omnibus malis illis ac miseriis liberatum, ejusdem sui regni per gratiam et gloriam participem ac consortem effecit. Post haec et propter haec omnia, *Deus exaltavit illum*, et dedit illi summum monarchae et Salvatoris nomen atque honorem ; voluitque a creaturis et inferis et terrenis et coelestibus in summum omnium regum Regem et dominantium Dominum recognosci ac genibus flexis adorari ; immensum gratiarum divinarum thesaurum ab eo liberalissime pro libito distribui et communicari ; regnumque hoc suum amplissimum continuo per totum orbem dilatari, donec in fine mundi plenissime ei omnia subjiciantur.

Nos autem, dum in hac mortali vita Christo similes sumus, daemonis vexatione tentari, juxta suae divinae providentiae consilia, permisit; miserias mundi ac mortem ipsam, non jam ad poenam, sed ad meritum, ad Christi similitudinem ac conformitatem subire nos voluit; et in iis virtutum earumdem operationes exercere, per quas ipse coronatus est; ut ejus militiae imitatores effecti, etiam victoriae et praemii essemus consortes.

De coelo igitur Christus omnes invitat, exemplo provocat ad spiritualem militiam, ut generose Regi suo, universorum Domino, consentiant, strenue pugnent, seque totos plenissime illi devoveant atque in perpetuum ejus militiae adscripti manere et velint et protestentur.

Haec prima ac plane divina deliberatio Christum in regni sui acquisitione imitandi, in exercitio de regno Christi proponitur, ut per eam anima ad omnium virtutum electionem praeparetur. Hinc in eodem exercitio praestantissima virtutis conditio exprimitur, per quam Christus Dominus in nobis regnum suum amplificat, et nos vicissim, per eosdem virtutis actus et Christi imitationem, regnamus in Christo, dominantes nobismetipsis, carni scilicet et passionibus nostris, diabolo, et toti mundo, quem nobis plene sola virtus subjicit.

Perpendamus singula verba S. P. Ignatii et potissimum illa: *En o Rex superne*, et quae sequuntur: in quibus vere spiritus videtur exsultare, et ad altissimos affectus animas excitare. Intelligat autem, qui facit Exercitia, exercitium de regno Christi, sub hoc regni altissimo symbolo totius ejus vitae ac mortis mysteria ita comprehendere, ut sit omnium basis ac fundamentum; seque ob id strenue in hac deliberatione imitandi Christum exerceat. Multa autem motiva possunt his adjungi in commendationem virtutis; quae proprio marte unusquisque facile reperiet.

§ II. — *De duobus vexillis.*

SECUNDO loco sequitur alia deliberatio in exercitio de duobus vexillis: nam, cum videt daemon animam huic sanctae militiae se ex animo dedicasse, vehementer conatur, suis artibus et insidiis, quasi quibusdam machinis, sanctum hoc propositum impugnare ; contra vero, Christus rex noster ac dux fidelissimus, arma praebet spiritualia, quibus inimicum superemus. Hinc duplex quasi campus instruitur, duplicis scilicet civitatis, quarum altera Babylon appellatur, quae aedificatur usque ad contemptum Dei, sub daemonis, tamquam capitis, potestate; alia coelestis est Hierusalem, quae usque ad perfectum Dei amorem, et sui contemptum crescit, cui Christus praest. Sequitur hinc secunda deliberatio, firmumque propositum triumphandi de daemonis tentationibus, pugnando strenue contra eas, ut divinae gratiae ac luminis ope, stratagemata ejus eludantur, et conatus omnis ac potestas cadat.

Perpendantur sedulo verba S. P. Ignatii ; est enim necessarium militem Christi non ignorare daemonis astus ut vitet. Quae autem in libello Exercitiorum brevissimo compendio attinguntur nos hic fusius explicabimus.

Primo igitur aperte impugnat nos daemon, ut pluribus modis excitet in nobis amorem rerum carnalium et ad delectationes varias provocet ; timorem pariter malorum, quae his bonis sunt contraria, ut iis, quae commodum vel incommodum nobis afferunt, aut similibus, nos quasi retibus quibusdam capiat. Memoriam et gustum rerum divinarum et spiritualium, maxime vero novissimorum, de corde nostro pro viribus delere tentat, ut in bono tardos reddat ac negligentes. Curat ut ex timore et verecundia, vel ex aliis causis his similibus, multa bona praetermittamus, et in peccatis

perseveremus; opprimit cor variis angustiis, curis, taediis, tristitia, pusillanimitate, etc. ut a virtute divertat; inserit animo falsa principia : non omnes v. g. ad perfectionem evangelicam teneri, pugnare virtutem christianam cum proprii status conservatione, nobilitate, integritate, et alia ejusmodi; tenaces facit in proprio judicio ac voluntate, et in omnibus quae proprium amorem fovent; et hoc etiam in spiritualibus, sub specie boni, potissimum vero in aestimatione nimia nostri ac superbia, non sine aliorum contemptu; infinitas et semper novas difficultates in via Dei proponit ne perseveremus in bono; inducit ad operandum bonum ex consuetudine, ex lege, ex timore, ut aliis placeamus, politice mere ac materialiter, sine spiritu interno; efficit ut levia peccata spernamus, tum etiam spiritualia et interna : aemulationis, jactantiae, suspicionis, etc.; quamvis haec ut plurimum aperte gravia sint. Occultat autem malitiam eorum, per suas insidias sub specie boni.

1° Accommodat se temperamento, naturae, aetati, statui, inclinationi, eventibus quotidianis, circumstantiis loci, temporis, et aliis : hisque et aliis similibus, veluti totidem larvis speciosis, mali ac vitiorum omnium objicit latentem formam ut fallat.

2° Si quod est peccatum, a quo videt nos aperte abhorrere, hoc dissimulat ac tegit; illud autem prodit quod aptum est, similitudine aliqua aut specie boni, nos seducere.

3° In peccata gravia cum velit inducere, ab illis alienum se valde simulat, ut boni spiritus fingat personam ac naturam; incipit autem a levissimis erroribus, quorum augmento, sensim semper ad majores promovendo, liberiorem facit conscientiam, timorem castum vana libertate depellit, ut in graviora tandem praecipitet.

4° Observat internum animae statum, et, prout in

Evangelio habetur, si victoriae alicujus relatae specie, aut alia de causa videt elatos, securos, laetos, otiosos et incautos, assumptis spiritibus nequioribus se, ex improviso tanta nos vehementia adoritur, ut fiant posteriora nostra pejora prioribus.

5° Molestia et pertinacia tentationum non raro animum defatigat, nullam dat requiem, importune urget, ut taedio ac desperatione affectos perdat.

6° Tentat sub specie gravissimorum scelerum, blasphemiae, immunditiae, infidelitatis et similium, devotam ac timidam animam, et potissimum in festis solemnioribus, in templo, in oratione, et sacrorum administratione, ut dum meras suggestiones, at vehementes valde, peccata propria reputat, animo cadat, quasi a Deo sit derelicta.

7° Saepe homini imperfecto et in periculo gravis ruinae existenti, nisi se emendet, ejusdem erroris sensum et remorsum tollit aut imminuit, pacem quamdam et inanem laetitiam, praesumptione ac superbia occulta mixtam, multis iisque sophisticis rationibus suadet et ostentat; in spiritualibus exercitiis permittit, immo excitat sensibiles gustus, et persuadet esse mentis insignes elevationes, ut his et similibus artibus animam a vera emendatione ac sui mortificatione abducat, et periculo imminente, tandem aliquando misere perdat.

8° Curat ut in rerum divinarum justa aestimatione fallamur, ea magnificantes quae non sunt tanti momenti, ut ex.gr. externam sacramentorum frequentiam, absque debita praeparatione; corporis afflictiones praeferentes voluntatis ac judicii proprii abnegationi, et alia ejusmodi, ut a vero perfectionis ac solidarum virtutum tramite avertat.

9° Cum impedire non potest bonum, procurat ut saltem differamus boni executionem; impedimenta

multa ac difficultates summa arte inventas objicit; nihil non tentat ut pravum suum intentum consequatur.

10° Personarum, quae nos in spiritu juvare possunt, commercium modis omnibus nititur impedire: suspicionibus vanis, falsis aliorum delationibus, timore nimio ac verecundia, et similibus. — Insidiae aliae subtiliores in primo gradu *Disciplinae* nostrae explanantur.

Denique quid potissimum praetendat daemon, et quo tandem aspiret, diligenter est observandum ad cautelam. In primis, intentionis puritatem ac sinceritatem corrumpere mille modis conatur, ut bonitatem omnium actionum inficiat : utitur autem instrumento unico, amore scilicet proprio, quem occulte, tanquam venenum, omnibus actibus, etiam sanctis ac divinis, subtiliter intrudit.

2° Electionem solidarum virtutum ac verae discretionis pervertere conatur, ut alia via quidquid boni deliberamus, vera bonitate quoquo modo privet ; optime enim novit unico vel unius circumstantiae defectu, virtutis rationem perire.

3° Efficaciam operandi, et nos ipsos superandi in difficilibus praetendit et molitur in omnibus impedire : hac enim enervata, opus quodcumque virtutis aut vanum aut imperfectum evadit.

4° Instabilitatem in bono, et inconstantiam valde amat, et in eam inducere tentat, ex qua omnia fere mala sequuntur. Ex plurimis haec pauca de daemonum insidiis ; praecipua tamen ac majora satis sit detexisse.

Contra vero, facile est ex contrariis Christi Domini nostri, ejusque Sancti ac divini Spiritus, arma perspicere, quibus inimici omnes fraudes ac insidias superemus.

Primo enim, Spiritus boni fines potissimi et scopi, ut

ab his ordiamur, quatuor sunt: intentionis puritas erga finem; electionis circa media ac virtutes, integritas ac perfectio; imperii efficacia et usus in opere, cum sui ac difficultatum plena victoria; in bono constantia, fortitudo, ac perseverantia usque ad finem.

2° Via et modi, quibus aperte nos ad perfectionem promovet, hi sunt: amor virtutum ac rerum spiritualium; timor et odium peccati ac poenarum ejus; abnegatio et oblivio rerum caducarum et inanium, quae ad peccatum inducunt; contemptus timoris mundani ac similium ex magnanimitate; dilatatio cordis, gustus divinorum, et mentis quies ac laetitia in rectitudine conscientiae fundata; lumen rectum, certaque ac vera principia, quae ad praxim evangelicam perfectionis deducant; humilitas fiducia, puritas cum debita cautela ac vigilantia.

3° Denique, ut insidias occultas daemonis vitemus, haec notanda: *Primo*, naturam nostram in omnibus perficit bonus spiritus per gratiam, et elevat ea conformitate, qua non ad illam ipse trahitur, sed naturam ipsam lumine majori illustratam ad se trahit, sibique similem efficit: nihilque veri ac boni praetermittit, quod suo loco et tempore illi non suggerat. *Secundo*, aperte peccati latebras ac turpitudinem detegit, et apparentis boni vanitatem ac fallaciam ostendit. *Tertio*, synderesis rectum lumen in nobis continuo auget; quo fit ut peccati etiam minimi gravitas semper major videatur; crescatque ejusdem odium ac vitandi studium. *Quarto*, suavissime agit paulatim ac longanimiter; nosque promovet, donec plenum divinis ejus immissionibus consensum praebeamus. *Quinto*, avertit a nobis taedii, diffidentiae ac desperationis vias per motiva varia, quibus dat vim operandi bonum efficaciter. *Sexto*, corroborat spiritum nostrum contra tentationes et difficultates omnes; potissimum vero circa fidem, purita-

tem et christianam pietatem. *Septimo*, in peccatis urget conscientiam stimulis, nec sinit quiescere, donec plene purgentur. *Octavo*, justam ac sinceram inducit omnium rerum aestimationem, ut in lumine ambulemus. *Nono*, diligentem ac sollicitam animam reddit ad omne bonum, quasi instet semper dies Domini, et tempus sit redimendum. *Decimo*, humilem facit animam et docilem, inclinatam ad cultum internum, ad communicanda intima sua patri spirituali, ut ab illo in omnibus dirigatur, ei confidat, seque totam committat cum simplicitate et candore.

§ III. — *De triplici hominum classe.*

TERTIO. Postquam miles 1° se sacramento militari astrinxit, tum 2° in campum sui ducis profectus strenue inimici victoriam sibi proposuit, superest 3° ut ad pugnam et conflictum veniat : quo casu solent tres dari militum classes. Quidam enim, veluti filii Ephrem, mittentes arcum in die et hora belli convertuntur, vili scilicet animo pugnam detrectantes. 2° Sunt alii, qui pugnare quidem volunt ; sed ex suo capite, sine ordine, disciplina ac directione. 3° Loco sunt alii, et hi soli imitandi et laude digni, qui duci suo subjecti, ejusque ministris plene obtemperantes, strenue pro eorum voluntate ac nutu pugnare animo constituunt. In militia spirituali similiter sequitur tertia haec deliberatio, qua miles firmissime proponit nihil se velle aggredi ex propria voluntate, sed in omnibus sequi voluntatem divinam, majorum suorum legibus et institutis, directione ac disciplina expressam. Perpendat itaque, divinam Providentiam nullam creaturam solitarie, sed unam per aliam gubernare ; neminem quantumvis sapientem et sanctum sibi sufficere, facillimeque nos amore proprio seduci : nullam artem posse sine praeceptore apprehendi ; et multo minus hanc inter-

nam, difficilem et periculis plenam. Ordinem omnium creaturarum admirabilem consideret. Hinc vero intelligat necessario consequi, cum cor hominis sit occultum, esse intima cordis nostri majori ac duci nostro aperienda, ut plane ab eo in omnibus dirigamur; tum in omnibus vitae actionibus proprium proprii status vel instituti modum ac spiritum esse sequendum. Et haec in meditatione de triplici hominum classe habentur.

§ IV. — *De tribus modis humilitatis.*

QUARTO. Sequitur de tribus humilitatis modis meditatio, in qua tres sequentes deliberationes habentur, quibus proxime et perfecte miles Christi disponitur ad electionem virtutis, et ad militiam spiritualem circa eam. *Prima*, quae est ordine quarta, ut,in quacumque pugna contra daemonem, mori potius eligat, quam contra legem divinam et suum institutum peccatum grave ac lethale committere, quod semper fere daemon in ea solet suggerere. *Secunda*, quae est ordine quinta, ut nec velit veniale peccatum vel levissimum, quacumque ex causa, facere. *Tertia*, quae sexta est et ultima, ut inclinet sese in omnibus ad laborem, ad rerum difficillimarum victoriam, ad patientiam; et, cum ejusmodi difficilia occurrunt, non solum non detrectet pugnam; immo, instar generosi militis, inde maxime ad eam animetur, exemplo Christi Domini et Sanctorum ejus, ac vel ipsius mundanae militiae, quae occasione laborum maxime exultat et jubilat. Hae igitur sunt christiani militis conditiones; hae praeparationes; quas si consecutus fuerit, procul dubio aptus erit regno Christi. Quo facilius autem et efficacius haec omnia deliberet, Christi Domini vitae totius mysteria immiscentur a S. P. Ignatio, quatuor jam explicatis exercitiis, ut in illo easdem deliberationes intuentes, similes illis pro viribus elicientes, nos etiam imitemur.

§ V. — *De ceteris Exercitiis hujus Hebdomadae.*

PRIMO autem supponendum est, servato orationis mentalis more consueto, in singulis Christi mysteriis tria esse meditanda ex S. P. Ignatii praescripto : personas scilicet, verba earum et opera ; et haec tria, vel simul omnia, vel singula eorum pro libitu poterunt historiae evangelicae, punctisque singulis ac partibus applicari. In personis externa compositio, gestus et forma, quae sensibus externis objicitur : tum cogitationes et affectus interni, qui proprie ex ipsa historia et mysterio colligi possunt, sunt considerandi. Verborum sensus, potissimum moralis, et finis inspiciantur. Actionum denique, in quibus ut plurimum mysterii ratio est posita, imprimis propria substantia ac ratio est discernenda, circumstantiae deinde et causae ; ut ex. gr. quid sit incarnari, quo loco, tempore, modo, et quo fine, quibusve de causis. Hoc autem totum est veluti materia ipsa meditationis, cui tanquam forma et perfectio adjungi debent deliberationes illae omnes, quas explicavimus, una scilicet illarum vel plures ad libitum ; primum eas meditantes, tum Christi imitatione easdem in nobis elicientes, ut, quae de regno Christi, et perfecta ad militiam interiorem praeparatione in communi praescribuntur, in singulis Christi mysteriis intuentes, animemur ad pugnam divinam, digneque ad eam praeparemur. Hic enim fuit scopus mirabilis propter quem admiscentur mysteria haec cum quatuor illis meditationibus ; quod ut facilius esset iis, qui nondum habent sensus exercitatos, operae pretium esse duximus easdem deliberationes singulis mysteriis breviter applicare.

Mysterium Incarnationis.

IN mysterio Incarnationis Christus insignis nobis proponitur humilitate descendendi de coelis ad nostra infima ; misericordia et charitate suscipiendi nostras

in se miserias; justitia solvendi Patri pro peccatis pretium; liberalitate et aliis infinitis virtutibus, quae in eodem mysterio elucent: tum internis actibus et oblationibus, quae statim post Incarnationem Deo Patri in salutem mundi et daemonis victoriam exhibuit; primum et solidissimum regni sui et militiae futurae fundamentum jecit; rex est constitutus omnium; daemonem vicit, subjecit se Patris voluntati, summae deditus innocentiae simul ac patientiae. In ipso etiam Angelo Gabriele regnavit Christus: profunda humilitate, qua virginem alloquitur summa cum observantia et reverentia; resignatione plena, zelo divinae gloriae ac salutis animarum. — Multo altius denique regnavit in Virgine per plenitudinem gratiae ex Christi Regis praevisa victoria concessam, per custodiam ejusdem in solitudine, recessum, cautelam, modestiam, puritatem illibatam, plenissimam submissionem, cum dicit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum* (1).

Propone tu similiter, ad Christi Matris et Gabrielis imitationem, velle te Christi esse militem, illi dedicari plene, ut in te regnet, et tu in illo per emendationem morum et virtutum omnium perfectionem.

Nativitas.

SECUNDO sequitur Christi Nativitas. Palatium regium fuit illi tugurium; thronus praesepe; purpura viles panni; aulici pastores et jumenta; thesauri humilitas, paupertas, simplicitas, mansuetudo, clementia, obedientia, patientia, contemptus mundi in aetate infantili. His expugnavit tyrannidem daemonis, mundum subjecit, peccatum delevit; meruit nobis gratiam et redemptionem.

Contemplare regiam potestatem, daemonis cladem, edictum Caesaris, Matri et summe omnium Patri su-

1. Luc. j, 38.

bjectionem, peccatorum omnium odium et poenam, miserias plurimas, quibus subjicitur. Imitare haec omnia.

Praesentatio.

TERTIO. In Praesentatione dilatat regnum suum in templo, majestate sua, tum oblatione sui ad Patrem; pietate Annae, Simeonis, et aliorum. Contra daemones armatur, quos sua religione et submissione legi fallit ac vincit. Plenissima animi resignatione se Dei Patris voluntati dedicat. Pro peccatis se hostiam in templo immolat. Gustat interne calicem passionis, quem et Matri propinat per verba Simeonis: *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Cura similiter Christi imitationem.

Fuga in Aegyptum.

QUARTO. Fugiens in Aegyptum iterum dilatat inter Gentes terminos regni sui extra Judaeam, Synagogam, et legem veterem. — Diaboli mortem intentantis insidias declinat, ut matura aetate suo tempore se offerat; coronat Innocentes, et in illis gloriosissime daemonem expugnat per ipsammet daemonis ac tyranni crudelitatem. — Providentiae paternae per Angelum se dirigendum exhibet plenissime. — Sua praesentia idola et infinita peccata delet. — Multa tandem et gravia pro nobis patitur. Haec eadem et ipse eligas.

Disputatio in templo.

QUINTO. Cum esset duodecim annorum, in templo dilatat regnum suum splendore suae sapientiae, quam diffundit in omnes, et mysterii redemptionis eruditione ac doctrina. Disputatione admirabili fraudem aperit ac superat inimici. Ut Patri obediat, renuntiat matri et omnibus: *Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse* (1)? Affectum

1. Luc. ij, 49.

carnis omnem a quo omnia peccata oriri solent, perfectissime abnegat. — Multa patitur tribus diebus, omni humano solatio et praesidio destitutus. Sume hinc etiam exemplum.

Baptismus.

SEXTO. In baptismo publicatur rerum omnium rex ac dominus a Patre, dum audit : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui* (1). Candor ejus monstratur in baptismo, thesauri in Spiritu Sancto. Hac caeremonia se praeparat, in deserto cum daemone pugnaturus ad exemplum nostrum. Subjicit se Joanni, ut dirigatur a Patre. — Peccata omnia nostra aquis immersit. — Multa patitur incommoda : matri, domui ac bonis suis omnibus renuntiando.

Tentatio.

SEPTIMO. In tentatione, contemptu regni mundi, quod illi fuit oblatum, solitudine ac incommodis multis, jejunio, oratione, ac submissione, daemonem spoliat mundo, et regnum sibi comparat. Strenue pugnat, et superat insidias ejus, potissimum Scripturarum divinarum veritate, rerum carnalium contemptu, et superbiae victoria. — Patri in omnibus humillime subditur sinitque se propterea a daemone tentari. — Vitiorum omnium genera a daemone proposita oppugnat et expugnat. Multa patitur. Haec meditare et elige similia.

Sermo in monte.

OCTAVO. In monte sermonem habens regnum suum, in quibus consistat, exponit octo beatitudinibus. — Per has daemonis artes eludit. — Directione paterna ductus, fit omnium magister. — Peccata

1. Matth. iij, 17.

omnia, etiam levia, prohibet, dum tam alta docet et legem in multis emendat. — Pernoctando in oratione, laborando doctrina et opere multa et gravia sustinet. Sequere Christi exemplum.

Vocatio Apostolorum.

NONO. In vocatione Apostolorum constituit principes duces et regni sui ministros, imitatores et consortes ; et genus vivendi suo simile praescribit. — Armat eos contra diaboli insidias Spiritus Sancti gratia ac potestate. — Ordines ac leges sanctas tradit, quibus dirigantur. — Zelum excitat contra omnia peccata, etiam minima. — Mittit Apostolos ad labores et ad mortem pro suo regno. Formam vivendi nobis imitandam ostendit.

Supra mare ambulatio.

DECIMO. Cum supra mare ambulavit, elementorum ac totius mundi se dominum praebuit, ac superiorem malis ac miseriis omnibus hujus saeculi. — Fiducia communivit Petrum, et in ipso, nos omnes contra daemonis insidias. — Orationem docuit per Petrum dicentem: *Salvum me fac* (1). — A tempestate omnium peccatorum et poenarum sua virtute nos liberavit, ut ab iis abhorreremus. — Dum medias inter maris procellas incedit Petrumque inter eas vocat ac trahit, et nos invitamur exemplo ut sequamur vestigia ejus.

Suscitatio Lazari.

UNDECIMO. In Lazari suscitatione morti ac peccato imperans, cum foetentem ac peccatorem suscitavit, regni sui majestatem ostendit.— Fremitu ac lacrimis pugnavit contra daemonem ac mortem, et vicit. — Ad Patrem oratione confugiens, se in omni-

1. Matth. xiv, 30.

bus ab illo duci ac dirigi monstrat. — Peccati enormitatem in Lazari foetore ac sepultura, ejus vero odium in suscitatione ejusdem patefecit his verbis: *Solvite eum et sinite abire* (1). — In his omnibus fremitu, lacrimis et laboribus multa patitur, et invidiae Judaeorum obnoxius, se mortis periculo exponit. Haec ut imitemur.

Praedicatio in templo.

DUODECIMO. Praedicans in templo verbi ministerio et oratione regnum spirituale suum, id est Ecclesiam, aedificat ac corroborat.— Ejectis de templo peccatoribus, daemonem generose confundit, et ejus insidias ac divinorum profanationes detegit et exterminat. — Patris directione, et in ejus honorem cuncta se facere profitetur, dum orando se illi humiliat, et illum in eodem templo praedicat. — Peccati zelum et odium summum prae se fert. — Calumnias et labores graves in his omnibus suffert. Ut et nos eadem fortiter patiamur ac faciamus.

Triumphus.

DECIMO TERTIO. Ingressu in urbem triumphat ; regem se naturae, legis, ac mundi totius, maxima pompa et majestate demonstrat, triumphando de creaturis omnibus. — Triumphat de daemone, peccato et morte. — In omnibus voluntatem sequitur Patris, per quam triumphans, non ad honorem illum momentaneum, sed ad crucem pergebat, quam paulo post pertulit. — Flevit super Hierusalem, in medio sui triumphi, ut odium peccati et gravitatem ostenderet. — Ad passionem non ad triumphum gaudens ibat. Fac et tu similiter.

1. Joann. xj, 44.

DE ELECTIONE.

UNCTA quae dicta sunt hactenus, tendunt ad praeparandum animum, ut bonam et constantem faciat bonorum omnium electionem ; hoc est ommis homo. Primo autem praeludio electionis finis proponitur divinae gloriae, salutisque ac perfectionis nostrae, repetito quasi fundamento Exercitiorum. Tum duo praescribuntur : alterum, ut finem hunc velimus tanta voluntatis efficacia, ut cetera omnia solum propter hunc finem eligere deliberemus, qui sit omnium actionum nostrarum mensura : alterum, ut aliarum rerum omnium cesset voluntas et affectus omnis ; simusque ad omnia creata indifferentes, ut possit tertio, formari pura ac sincera electio eorum tantum, quae ad hunc finem consequendum conferunt.

Sequitur electio, in qua proprie militiae christianae est posita tota ratio ac nervus : nam qui novit malum quodcumque emendare et bonum constanter eligere, proculdubio daemonem et peccatum plene expugnat ; et de suis inimicis triumphum reportat, fitque regni Christi miles emeritus, particeps atque haeres.

§ I. — *Electionis materia.*

TRIA autem sunt, quae cadunt in electionem :

PRIMO. Genus vitae in quacumque vocatione cujuscumque instituti in Ecclesia ; et huic applicat S. P. Ignatius totam secundam hebdomadam. Tota autem haec materia electionis status facile legenti et consideranti patebit.

SECUNDO. Malum quodcumque ut emendetur, et virtutis bonum ut eligatur, ut habet clare S. P. Ignatius

in fine secundae hebdomadae, titulo de emendatione circa vitae statum facienda, usque ad finem, et in regulis de distribuendis eleemosynis.

TERTIO. Negotium difficile, quod maturo consilio et deliberatione indiget, ut in regulis Praepositi Provincialis habetur.

§ II. — *Forma electionis.*

ELECTIONIS forma seu praxis triplex est: PRIMA mere supernaturalis, per divinam revelationem, qua illuminatus homo determinatur ad veram electionem. Quae quamvis paucorum sit, minimeque a nobis expectanda, ne tentemus Dominum, dici tamen simul potest et debet nullam fieri electionem sanctam, quae aliquo modo huic non innitatur. Nam tenemur omnes ea deliberare, quae ex Evangelio Christi et sanctae matris Ecclesiae doctrina nobis sunt divinitus revelata; praeterquam quod multi instituta habent et leges a Deo speciali lumine traditas, quas tanquam regulas electionis sequi debent. At in singularibus, lumen rationis et naturae traditum est nobis pro regula, ut ea, quae agenda sunt, eligamus: nec de hujusmodi rebus est revelatio tentanda aut expectanda.

SECUNDA praxis continetur intra ordinariae et quotidianae Providentiae fines; eaque est duplex. *Una* quidem per affectus ac sensus internos, et motiones spirituales, per quas varie voluntas ad id inclinatur, quod Deus ipse illi per has immissiones significat, et ab illa requirit. At necesse est hic artem adhibere discernendi ac probandi spiritus, an ex Deo sint, de qua suo loco; nec sine majorum directione ac judicio id fieri debet. *Altera* est hominis propria per rationis ac discursus lumen, quod divina gratia juvatur; et huic saepe solet immisceri divina inspiratio ad ejus confirmationem; sicut etiam contra, saepe post inspirationem coelestem

sequitur rationis lumen illam corroborans. Quod si sibi adversentur, proculdubio, dummodo lumen rationis liberum sit ab omni inordinato affectu et sincerum, illi potius est adhaerendum, addita majorum directione ac judicio, quam fervori spirituali etiam vehementi. Nihil enim Deo placet, quod rectae rationi non sit conforme: multa vero contra, suggeruntur in affectu per spirituales fervores, quae maximam pietatem redolent et sanctitatem, sed ad indiscretionem tendunt et sunt peregrina, aut alio modo a recto tramite aliena.

§ III. — *Electionis methodus.*

HUJUS autem electionis methodus haec esse debet: *Primo*, proponat sibi rem ipsam, de qua facienda est electio; et hoc coram Deo. *Secundo*, finem divinae gloriae, cum animi submissione inclinando se in illum et in id tantum, quod ex ejusdem finis affectu et mensura Dominus se velle demonstrabit, quodcumque illud sit, nil aliud penitus cogitando aut determinando.

Tertio, petat suppliciter a divina clementia lumen illud mentis, et voluntatis affectum, quo divinae voluntati maxime conformetur, adhibito proprii discursus conatu. *Quarto*, perpendat motiva in utramque partem, hinc scilicet, bona et commoda; illinc mala, pericula et incommoda, quae consequi possunt, si vel eligat id quod proposuit vel omittat, seu ex multis eligat unum prae ceteris. Descendendum est autem, quam maxime fieri potest, ad conditiones et circumstantias proprii status ac personae, et ad cujuscumque particularis vitii emendationem, vel virtutis acquisitionem, cum electio singularium esse debeat, bonumque integritatem omnium requirat; unius vero defectu malum sequatur. *Quinto*, hinc ratiocinandi sumat occasionem, et ex sincero affectu purae intentionis, perpendat ac dedu-

cat, quid sit sibi eligendum ; solumque ex puro affectu et amore Dei sentiat se, in hoc magis quam in aliud, inclinari : nam electio ea quaerenda est, quae proveniat ex solo amore Dei coelitus infuso. Ut autem facilius ad hoc moveatur, consideret, si quis sibi amicissimus, cui omnem perfectionem cupiat, eum de eadem consuleret, quid illi suaderet, et hoc existimet etiam sibi esse eligendum : tum si mors ingrueret, et coram Deo pro tribunali sisteretur, quem vellet modum observasse, hunc aliis omnibus modo praeferat, ut eo tempore magis sit securus.

Facta demum electione, Deo illam offerat, agat illi gratias, communicet cum suo directore, ut ab eo approbetur, et in illa constanter perseveret. Potest autem fieri electio quaecumque interdiu in quacumque alia pia et sancta occupatione, vel in oratione ipsa, sive fiat mysteriorum Christi meditatio, sive alterius cujuscumque materiae ; vel separatim pro orationis materia electionis methodum assumat. Non enim alligata est manus Domini ; neque Spiritus divinus est prohibendus quin possit quacumque hora ac occasione nos ad sanctam electionem promovere. Cum autem fit electio status vel alicujus negotii difficilis, ubi ex multis unum est eligendum, aliis omissis, debet ante electionem esse indifferens ad eligendum vel non, et hoc magis quam illud, ut pure et sincere, solo intuitu divinae gloriae et affectu commotus, per electionem indifferentiam suam deponat, seque ad unum determinet. At in moralibus, quae comprehendunt omnia, quae in septem gradibus nostrae disciplinae habentur, certum est animum determinatum requiri, etiam ante electionem, emendandi omne malum, et consequendi omne bonum virtutis, nec enim fas est in controversiam hoc vertere.

At quoniam vis eligendi imperativa saepe non adest, cum scilicet intelligimus speculative bonum esse

eligendum, et optamus illud affectu quodam tenui, dum tamen interea malum operamur, malum ipsum ex rationis perturbatione eligimus ; vel adest quidem vis imperandi bonam electionem : sed oppugnatur passionibus ac suggestionibus non sine periculo ; praeterea est debilis nec ad operis partum viribus instructa. Quod quidem omnibus illis communiter et frequenter contingit, qui perfectionem charitatis nondum sunt consecuti, et proinde in multis delinquunt. Propterea utilissima est iis omnibus ea methodus ac ratio electionis quam in nostra *Disciplina* tradidimus; ut scilicet, prava cujuscumque vitii voluntate superata, eligant ejus emendationem, et in virtutibus profectum ; qua ratione patet infinitas fere electiones hac divina arte comprehendi, et persuaderi.

Tria autem potissima sunt capita: *Primum* est electio emendandi vitium aliquod ex iis, quae in quarto gradu traduntur (1). *Secundum*, mortificandi excessum vel defectum quemcumque ex iis, qui in quinto gradu continentur (2). *Tertium*, virtutis medium et veram praxim consequendi, de quo in sexto et septimo (3).

Commune autem his omnibus aliquid est, aliquid etiam proprium, quod in explicatione singulorum graduum clarius apparet. Modo autem satis sit id dixisse, duo esse omnibus communia : alterum, determinata voluntas emendationis vitii, et consecutionis virtutis : alterum, cum hac determinatione, aequilibrium quoddam animi inter duo servare, ut aeque ab eis declinet, inter duo scilicet vitiorum extrema, et aeque utrumque caveat, ex. gr. avaritiam et prodigalitatem, crapulam et nimiam austeritatem; et in aliis eodem modo : tum simul etiam inter duo bona inter

1. Quartus gradus est de extirpatione malorum habituum.
2. Ubi de mortificatione vitiosorum affectuum agitur.
3. Quibus in gradibus auctor, teste Ribadeneira nostro, omnium virtutum tractationem complectitur.

se quasi dissidentia, quae tamen amico virtutis foedere consociari et conjungi debent, ut est ex. gr. sensuum carnisque edomatio, ac virium corporis sustentatio ; utrumque enim virtus temperantiae requirit, estque in eo dissidii periculum, ne dum edomatur caro, vires nimium debilitentur, vel contra, dum hae conservantur, urgeat nos caro ad vitia, et in aliis similiter. Debet igitur in omni materia vitiorum ac virtutis, inter haec mala et bona aequilibrium servare, ut deinde, per regulas electionis perpendendo quae commoda vel incommoda vitium affert, quae rursus emendatio ac virtus opposita, ita eligat unius vitii emendationem, ut non incidat in contrarium ; ita unius boni consecutionem, ut aliud non omittat ; uno verbo, non declinando neque a dextris neque a sinistris.

Proprium autem illud est in singulis capitibus enumeratis : in primo quidem, electionem determinate ferri in unicum vitium emendandum. Huic tamen electioni debet adjungi conditio, ne declinet ad aliud ; nam alioquin non esset bona : quocirca, in unius vitii emendatione debet et aliud animo et intentione odio haberi. In secundo autem, electio versatur circa mortificationem excessus vel defectus, qui etiam supersunt post primam vitii emendationem, ut clarius in quinto gradu ostenditur. In tertio fit electio perfecta medii virtutis, ut habetur in sexto et septimo gradu, quae voluntatem nostram summe in bonum perficit, et ab omni malo ac vitio liberat. Quod si, antequam quis aggrediatur horum electionem et praeparet se per praecedentes deliberationes imitandi Christum, et alias jam notatas, inveniatur in illis non admodum firmus: nihil prohibet, quin ad stabiliendum animum in illis, et in progressu spiritus contra tepiditatem, adhibeat prius omnes vel singulas regulas has electionis. Tum vero descendat ad particularium electionem, quae in malo-

rum emendatione, et in virtutum conservatione suo ordine posita est, ac sermone explicavimus ad intelligentiam totius materiae de electione ; cum S. P. Ignatius non proprie in modum formulae exercitii aut orationis sicut alia hanc extenderit.

Ex dictis autem facile est, quae in libello Exercitiorum habentur intelligere. Et haec de secunda hebdomada, cujus usus et praxis non paucorum tantum dierum spatio debet persolvi, sed continuo studio est servanda ; singulis octo circiter aut quindecim diebus, aliquam virtutem, sive diversorum vitiorum emendationem, sibi proponendo, donec tota ejusdem hebdomadae disciplina ac praeceptis bene perspectis, assuescat quispiam facili ac subitae electioni bonorum omnium, et in virtutibus magnum faciat progressum.

EXPLICATIO TERTIAE ET QUARTAE HEBDOMADAE.

IN libello Exercitiorum mentio expressa habetur viae purgativae, quam ait S. P. Ignatius, per Exercitia primae hebdomadae comprehendi ; et illuminativae, cui respondent Exercitia secundae hebdomadae ; nulla autem unitivae : quod ideo credimus factum, quod hoc nomine soleret intelligi theologia illa, quam mysticam vocant ; quae in recessu, solitudine et otio sancto, tota nititur mentis elevationi et contemplationi, ducitque ad extases, raptus et alia ejusmodi, per caliginem illam divinam, de qua auctores multi tractant, et potissimum qui Dionysium Areopagitam sequuntur et operum ejus sunt commentatores. Haec autem, cum abstrahat et alienet animum ab operatione et vita activa, sitque admodum difficilis, et periculis illusionum pateat, ac proinde paucis conveniat, a S. P. Ignatio merito est praetermissa. Quamvis autem viae unitivae nomen suppresserit justis de causis, negari tamen non potest quin res ipsa, ex ejusdem S. P. Ignatii mente sit admittenda, et, ut omnium aliarum terminus, maxime procuranda. Nam, cum in perfectione charitatis et unionis cum Deo per charitatem consistat, necessario post viam illuminativam est omnium consensu adhibenda, ut veram perfectionem consequamur. Tacite etiam, cum primam hebdomadam tribuat purgativae, illuminativae secundam, videtur insinuare reliquas duas, tertiam scilicet et quartam ad unionem pertinere : cum praesertim tertia hebdomada initium sumat a meditatione de Coena Domini, a qua auctores, qui de his tractant, initium sumi viae unitivae testantur, ad quam

Passionis, Resurrectionis et Ascensionis mysteria referre consueverunt. Denique proprium extat et insigne unionis exercitium, cui titulus est: *Contemplatio ad amorem spiritualem in nobis excitandum*, in quo, divina quadam ratione, proculdubio, viae unitivae integram excellentemque praxim ac methodum tradit.

Sciendum est igitur, a S. P. Ignatio unionem cum Deo non coarctari, nec proprie collocari in elevatione mentis in Deum, cum recessu et solitudine vitae contemplativae; sed extendi quam maxime ad opera quaecumque quotidianarum virtutum. Nam, sicuti in iisdem operibus ac ministeriis exercetur via purgativa per mortificationem, et illuminativa per virtutum exercitationem: similiter in iisdem actibus requirit, ut perfecte uniamur Deo, et in eum per amorem transformemur. Postquam enim homo est plene exercitatus in duplici via purgativa et illuminativa, tenetur in iisdem quotidianis suis functionibus quibuscumque, etiam minimis, virtute perfecti amoris Deo conjungi, eo modo qui in eodem exercitio praescribitur.

Initio autem duobus notandis jacit fundamentum firmissimum ac solidum, cum ait: *In primis duo notanda sunt: primum quod amor ipse ab operibus magis quam a verbis pendeat; secundum, quod consistit amor in mutua facultatum, rerum et operum communicatione, puta scientiae, divitiarum, honoris et boni cujuscumque.* Cum enim omnibus consentientibus, etiam iis qui theologiam mysticam tradunt, certum sit unionem cum Deo a charitate perfecta pendere et in ejus exercitio maxime sitam esse; amor autem magis consistat in opere quam in verbis, et in reali communicatione bonorum omnium, quam in sola contemplatione: sequitur evidenter, majorem omnibus aliis unionem cum Deo eam esse, quae contemplationem

extendit ad opera, in quibus totum id, quod habet, Deo communicat, ac amore perfecto, quem opere et communicatione exercet, se Deo conjungit; et, quemadmodum amor operis et communicationis excedit amorem consortii nudae contemplationis, sic etiam unionem hanc illam superare, cum ex ardentiori et perfectiori amore nascatur.

Hujus autem unionis quatuor gradus in quatuor punctis ejusdem exercitii posuit S. P. Ignatius, eo ordine, ut secundus primum, tertius secundum, et quartus tertium superet perfectione et eminentia. Quod ut clarius percipiatur, sciendum est amoris atque unionis cum amato perfectionem duo simul requirere: alterum ut in re magis quam in verbis, et in communicatione reali omnium bonorum exerceatur; quod in primis duobus notandis S. P. Ignatius expressit. Alterum est praesentia amicorum et mutuum inter eos commercium, ex quo reciproce sequatur transformatio unius in alium. Hac autem ratione praestat amor divinus, qui scilicet est hominem inter et Deum, alii amori cuicumque inter homines mutuo, quod duo illa simul cum Deo esse possunt, in humanis autem, ut plurimum, separantur. Nam commercia et colloquia humana oblectationem habent mutuam amicorum; verumtamen dum haec durat, cessat opus, labor, et, magna saltem ex parte, communicatio bonorum: Deus autem semper praesens est nobis et creaturis omnibus, in illis operatur pro nobis, et communicat plurima bona. Nos vicissim pro ipso haec eadem praestare possumus, simulque praesentia ejus frui, colloqui cum illo et conversari suavissime; ipsumque opus mutuum et communicatio, non solum non impedit, sed etiam fovet maxime unionem hanc consortii cum Deo. Nam, dum in opere et in labore anima Deum ipsum sibi socium esse conspicit intime

praesentem, vehementer impellitur ad unionem arctissimam cum Deo suo, et ad transformationem in illum, et de hoc S. P. Ignatius in quatuor punctis tractat, quatuor gradus assignans, per quos ad eam ascenditur.

De primo sic habet: *Punctum primum sit revocare in memoriam beneficia*, et quae sequuntur. Est igitur primus gradus, quo Deus ex infinito in nos amore, (quem diximus in opere et communicatione consistere, non vero in cognitione sola et colloquiis), per creationem et providentiam suam dedit nobis, et continuo communicat omnia creata, quae ex nihilo fecit, naturalia et supernaturalia, tot tantaque, ut ipsi nos etiam reciproce, excitantes in nobis vehementem affectum amoris erga Deum haec nobis communicantem, opera, et studio continuo in omnibus ac singulis ministeriis nostris offeramus et exhibeamus divinae majestati quidquid habemus et sumus; maxime vero omnium universam nostram libertatem, memoriam, intellectum et voluntatem, cum ipsismet operationibus ac bonis omnibus, eadem, quae accepimus ab eo, dona in eum penitus referentes. Sunt autem perpendenda verba illius colloquii: *Suscipe, Domine, universam meam libertatem* etc.: habent enim magnam emphasim, ut patet ea serio meditanti.

Secundus gradus exprimitur his verbis: *Secundum* (punctum) *erit Deum speculari in singulis existentem creaturis suis* etc. Continet autem aliquid altius primo, praesentiam nempe realem Dei in suis operibus et donis, ac omnibus creaturis et in nobis ipsis: dando enim seipsum et alia dona, quae illud consequuntur, simul in iisdem semetipsum exhibet praesentem per essentiam, praesentiam et potentiam: nos autem reciproce, debemus vi majoris amoris uniri ipsi Deo in omnibus, quae operamur, non solum tanquam donanti,

sed etiam ut intime praesenti et rebus omnibus et nobis ipsis. Legantur et perpendantur verba S. P. Ignatii.

Tertius sequitur gradus, de quo ait : *Tertium* (punctum) *est considerare eundem Deum ac Dominum propter me in creaturis suis operantem et laborantem quodammodo* etc. : est autem major praecedentibus, quia addit donis rerum omnium ac praesentiae Dei in donis suis, opus ipsum et laborem quodammodo ipsiusmet Dei, quo nobis veluti inserviens, omnia in omnibus operatur propter nos ; et huic correspondere debet reciproce opus et labor noster usque ad mortem, in omnibus Deo ipsi, tanquam praesenti ac pro nobis laboranti, propter amorem ejus ac gloriam exhibitus.

De quarto gradu sic habet : *Quartum* (punctum est) *prospicere quo pacto munera omnia coelitus descendunt* etc. : hic tanquam omnium summus superaddit omnium creatarum rerum et actionum derivationem a Deo tanquam summo bono, et infinito thesauro, cujus sunt participationes, quas effundit et immittit in nos, sicut fons rivos et sol radios, et quasi picturas et similitudines divinitatis suae, in quibus ejus majestas elucet et quasi in speculo conspicitur. Huic divinae communicationi in nobis correspondet reflexio omnium nostrarum operationum in Deum tanquam summum principium ; et in quo eminentiori modo continentur et exercentur, ut et in nobis et in creaturis ipsis, tanquam in suis radiis, illum intuentes, inde elevemur in solem ipsum justitiae, et in ipso vivamus et operemur : *In ipso enim vivimus, et movemur et sumus* (1). Fietque quod ait Apostolus, ut non nos in nobis, sed Christus in nobis et nos in Christo vivamus,

1. Act. xvij, 28.

et in quocumque opere, quod agimus, trahamur in Deum absorpti, et in eum transformemur ; ipseque vicissim ad nos per suas derivationes trahatur ac in nos transformetur.

Circa hos autem gradus expedit plurimum advertere, quod vis unionis cum Deo non in conceptibus et elevatione intellectus circa haec omnia consistit ; multi enim ejus non sunt capaces, et amoris efficacia non est posita in conceptibus, ut diximus, sed in opere: fieri tamen potest, ut in multis, exercitatione frequenti hujus unionis, elevetur intellectus ad altissimas contemplationes, etiam ad raptus atque extases, quae minime omnium suspectae sunt, et omnibus securiores videntur, quando ex amoris divini efficacia proveniunt. Sed, ordinarie loquendo satis est quoad intellectum, ut pro cujusque capacitate percipiat quilibet et firmiter credat, quae de Dei praesentia et amoris efficacia dicta sunt. Vis autem unionis praecipue in voluntate consistit, non quatenus a speculatione intellectus pendet, sed quatenus vim habet imperandi et exequendi opus quodcumque propter Deum, et exhibendi se et omnia sua offerenda ipsi Deo, intentione quadam purissima gloriae ejus, addito his omnibus proposito et desiderio conversandi in eodem opere cum Deo ipso praesenti, et se totum in eum transformandi. Hac enim intentione et efficacia operari, est simul uniri cum Deo practice ; et per communicationem totalem propriae voluntatis annexam huic divino amori, fit vera et altissima quaedam transformatio hominis in Deum, et extasis non intellectus, sed voluntatis ac totius hominis. Nam, sicuti voluntas efficax cum opere ipso est totus homo, juxta illud: *Deum time et mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo* (1) ;

1. Eccl. xij, 14.

et hoc multo magis, quam solus intellectus Deum contemplans; amorque est excellentior et efficacior in opere et voluntate, quam speculationis nudae consortio: ita longe efficacius et plenius transit in Deum et transformatur homo, per hanc unionem voluntatis atque operis, quam per intellectus elevationem: et haec eadem unio dona a Deo infusa et divinam gratiam promeretur majorem quam alia quaecumque.

Ex his omnibus colligitur excellentia hujus viae. Praeterea vero complectitur haec omne tempus, omnem actionem, etiam minimam; omnem statum animi, etiam in summa desolatione, ariditate et derelictione, ad imitationem Christi in horto, cum coepit pavere et taedere et dicere: *Non mea sed tua voluntas fiat*; omnem locum, et omnia genera personarum et statuum, nemine prorsus excluso; omne genus vitae, tum activae tum contemplativae, cum utramque simul misceat, et perfecte conjungat; ac propterea via est utilis, secura, suavis, communis omnibus, qua semper, omni loco, in quocumque opere, frui possumus. Quamvis autem ponatur ad finem quartae hebdomadae, videtur, ad similitudinem eorum, quae S. P. Ignatius tradit in secunda, expedire, ut in principio tertiae dentur illa duo notanda, tanquam fundamenta totius viae unitivae, interpositis inter primum et secundum aliquot mysteriis Passionis, in quibus conspiciat, qui Exercitia peragit, Deum nos amasse non verbis tantum, sed opere, et communicasse bona sublimia, immo et seipsum in Eucharistia et in aliis mysteriis. Tum vero quatuor puncta ejusdem Exercitii possunt similiter dari singula, et interponi eodem modo mysteria. Quod autem diximus de secunda hebdomada, hoc etiam loco repetere convenit; scilicet, dandas esse has meditationes non solum iis, qui puram viam unitivam attingunt postquam fructum

ceterarum viarum sunt consecuti, sed omnibus qui velint et sint capaces in quocumque gradu, dummodo persolverint omnia, quae ad electionem secundae hebdomadae spectant; ut quamvis imperfecte, incipiant in via unitiva exerceri, et in eadem continuo promoveantur.

DE DISCRETIONE SPIRITUUM.

PRAENOTANDA

PRIMO et ante omnia supponendum est in hac materia, tanquam ejus fundamentum, quod S. P. Ignatius ait, nempe, internarum *motionum* animi ac cogitationum *triplex* esse *genus: Primum*, quod exsurgit ex proprio motu ac virtute intima et innata unicuique ; *duo reliqua* ab aliis causis extra hominem positis proveniunt, nimirum vel a *bono spiritu*, id est a Deo, per ejus immissiones, vel a *malo*, hoc est a daemone.

SECUNDO. Totam discernendi spiritus disciplinam consistere in duobus, sive in *duplici discretione*, quarum *prima* est illa qua discernuntur *motiones*, quae a nobis proveniunt tanquam naturales, *ab aliis* quibuscumque, a causis extra nos proficiscentibus ; *secunda* est discretio motionum *malarum* quae a daemone sunt, a *bonis* quae sunt a Deo ; prima nec adeo difficilis est, nec admodum utilis, nec tamen praetermittenda ; secunda difficilis est et utilissima, et est ea, quae proprie ad rem nostram facit.

TERTIO. Sciendum est, per *motiones internas* intelligi quascumque operationes intellectus ac voluntatis, tum elicitas tum imperatas ; quae liberae sint et habeant rationem boni aut mali moraliter, id est virtutis aut vitii, in ordine ad salutem ac vitam aeternam, vel sint ejus merita vel demerita ; vel quae ad hanc referantur tanquam antecedentia, per modum inclinationum, passionum, aliove modo ; vel consequentia, ut sunt gustus, delectationes, desideria et similia.

Cum autem hinc sequatur *tria* esse *genera* motionum internarum : primum *praecedentium ;* secundum earum

quae *consequuntur* deliberatam voluntatem et electionem humanam; tertium quod continet ipsasmet *electiones*, seu actus deliberatos sive bonos sive malos. Maxime proprie, cum de discretione spirituum agimus, intelligimus eidem dari locum in *antecedentibus* motionibus, quatenus tanquam principia efficacia vim habent impellendi voluntatem ad bonum aut ad malum. Horum enim discretio est magni momenti, ut perspecta habentes principia quae ad malum, id est suggestiones quae ad peccatum tendunt, illas evitemus, nec illis consentiamus: contra vero, quae ad bonum deducunt sequamur. Hoc autem praesupponit nondum a nobis elicitum esse consensum, sed esse eliciendum vel vitandum. Secundo, intelligitur etiam discretio, licet minus proprie, de iis motionibus, quae *consequuntur* electionem, tanquam de signis, per quae discerni debet, an bona vel mala fuerit electio, ut mala possit revocari et emendari, bona vero iterari ac confirmari.

At improprie aptaretur ipsis electionibus, ut scilicet discernamus eas duplici illa discretione: ratio est, quia, quod ad primam spectat, omnis electio, et deliberatio voluntatis, sive sit bona sive mala, tribuitur nobis, et ab intrinseco principio nostro provenit: ac proinde locum non habet distinctio illa, qua dicimus aliam esse a nobis, aliam a causa extra nos; nam, si sit mala, non potest tribui diabolo, quoniam non potest nec cogere nec determinare voluntatem ad malum, cum libera sit. Si vero sit bona, concurrit quidem gratia et Deus speciali suo auxilio et motione; at semper permittit homini libertatem, ut ipse plenissimo dominio sui se moveat ad volendum. Quoad secundam discretionem, licet magni referat discernere bonum spiritum a malo, cum tota vis et efficacia verae bonitatis ac malitiae in electione consistat; in primis tamen parum aut nihil

juvat post factam jam electionem, quia jam consummata est ratio tota boni vel mali ; nisi ut vitet sequentibus electionibus malum, et sequatur bonum : quod ut fiat, observandi sunt motus antecedentes et impellentes ad malum, ne nos inducant in illud, et boni, ut illis innitamur. Praeterea contingit saepe in electione status, non posse aut non expedire electionem revocari; ut in matrimonio, in ordine sacro, in votis et aliis : potest nihilominus includi sub secunda discretione electio boni vel mali, quatenus comprehendit et antecedentia et consequentia simul ; ut discernentes bonum spiritum a malo, emendemur et proficiamus eo modo, quo dictum est ; et in hoc sensu dicemus de prima discretione pauca, quae ad rem nostram facere videbuntur ; tunc de secunda fusius ac diligentius.

Caput j. — De priore discretione habenda inter motiones quae a nobis ipsis et eas quae a diverso spiritu in nobis excitantur.

PRIMO dicimus distinctionem S. P. Ignatii locum habere et intelligendam esse de motionibus internis, tum bonis, tum malis ; quod scilicet utrumque genus potest esse vel a nobis, vel a causa extrinseca. *A nobis*, id est, a proprio motu potentiarum nostrarum, ita ut clare videatur inferri quod ex nobis, id est, virtute potentiarum nostrarum naturalium, possumus excitare in nobis cogitationes et alios motus internos, tum bonos, tum malos. Ex causa autem *extrinseca*, a daemone excitantur mali, vel boni apparentes, ut in malum tendant; qui licet sint boni formaliter, causaliter tamen sunt mali. A Deo autem non nisi boni.

SECUNDO certum est, cum dicitur motus quosdam internos provenire a causis extrinsecis, non posse in-

telligi id tunc fieri sine nostro concursu. Nam, cum sint actus immanentes nostri, necesse est illos et in nobis esse, et a nobis elici, et eos, qui sunt in nostra potestate, a nobis pendere. Contra vero, cum illi, qui in nobis sunt, distinguantur ab aliis, certum est etiam non excludi in iis, quos elicimus, concursum aliarum causarum : cum ad bonos certum sit Deum semper concurrere, ad malos vero, daemonem saepissime. Et propterea oritur difficultas, quo sensu vera sit haec distinctio, cum nulla esse videatur, ut ex dictis apparet.

§ I. — *Quo sensu vera sit haec discretio ?*

CIRCA *malos*, ut ab iis incipiamus, dubium est, an ad omnes et singulos concurrat daemon ita, ut nullus sit penitus, cui non se immisceat. Nam, si hoc affirmemus, oritur non modica difficultas, quomodo malarum motionum in nobis quaedam sint a nobis, aliae a daemone, cum in omnibus et nos concurramus et daemon. Dicimus igitur videri probabilius, multos ex primis motibus in malum a nobis solum, absque daemonis concursu excitari et initium sumere ; tum quia natura nostra ex sui corruptione facillime ad hoc inclinat, potestque sine ullius adminiculo, propriis viribus mala cogitare et eligere ; tum ut nos accuset daemon coram Deo, et graviorem illi culpam nostram repraesentet ; tum ut simus ipsi similiores ; tum denique, ut justiorem praetendat causam nos gravius impugnandi, quia nos ipsi nobis promeruimus ejus tyrannidem, qui incoepimus malum. Videtur enim postea suo jure ipse agere, cum coepta a nobis prosequatur ; et ideo est valde verisimile, quod permittat saepe et expectet initia nostra ; estque multorum Patrum sententia (1).

1. Orig. *Princ.* 3. — Basilius *Interr. in reg. brev.* 75. — Chrysost. *Hom.* 54 *in Acta*, n. 3. — *Auct. de Eccl. dogm.* inter opp. Aug. c. 49. (al. 82). — Cfr. S. Thomas *in Summa Theol.* 1ª 2ae, q. lxxx, artic. 4.

An vero coeptos quoscumque ipse promoveat, vel potius, ad finem usque, nonnulli sine ejus concursu a nobis proficiscantur et consummentur, longe est incertius : nobis tamen probabilius videtur, iisdem scilicet innixi rationibus et auctoritatibus, multos sine daemone consummari a nobis. Quae cum ita sint, clare constat, esse ex malis motibus quosdam a nobis tantum, alios autem a daemone, in quibus scilicet suam ipse operam immiscet ; et merito haec a S. P. Ignatio distingui ; signaque quibus discernantur esse inquirenda et assignanda. Quod si quis sit alterius sententiae, et existimet daemonem omnibus ac singulis immisceri, habet tamen et sic locum eadem distinctio ac discretio, in sensu, quem statim de bonis motionibus sumus explicaturi.

De *bonis* igitur, cum certum sit nullos esse, nec esse posse, quibus Deus non se immisceat, major videtur oriri dubitatio, quomodo in his praedicta distinctio et discretio locum habere possit ; qua scilicet supponitur quasdam cogitationes et affectiones a nobis tantum procedere, alias vero a Deo. Et quidem de naturalibus certum est, quod, solo auxilio communi, possumus et cogitare bonum et affici in illud, immo opera aliqua moraliter bona facere ; et haec distinguuntur ab aliis, quae fiunt in gratia et per auxilium divinum speciale : sed nulla opus est ad hoc exquisita observatione aut doctrina.

Sensus igitur propositionis S. P. Ignatii hic esse videtur : motus internos gratiae vel auxilii specialis, per quos illuminamur et afficimur in bonum, posse esse *duplicis* generis. Quidam enim, licet concurrat Deus, sunt *a nobis* eliciti secundum nostras vires, et secundum intellectus et affectus nostri vigorem naturalem gratia adjutum, cum pleno dominio ac naturali usu nostrae libertatis, et conformitate ad naturam

nostram ; et hos appellat motus nostros seu *a causa intrinseca.* Alii sunt, quos speciali quodam privilegio immittit et excitat in nobis *Deus*, tanta virtutis ab ipso emanantis copia, ut ipse videatur illos operari, et nos ab illo pati, quamvis liberi sint et a nobis eliciti, juxta illud : *Non enim vos estis qui loquimini* etc. (1) ; et hi proprie appellantur inspirationes et immissiones divinae ; et tribuuntur Deo. Et in hoc sensu, dato quod omnes motus mali essent a daemone, posset tamen, ut patet, eadem distinctio et discretio locum habere. Nam sicut a Deo alii, ita alii in suis motibus non raro videntur a daemone agi : et haec potissimum locum habent in motibus, qui praecedunt deliberationem vel sequuntur, qui non sunt in libertate nostra tam plene sicut ipsae electiones, et ob id obnoxiae sunt daemonis incursibus : vel, si sint boni, subjacent per modum quasi naturae dominio primae causae ; de quibus potissimum sermo est, non autem de ipsis electionibus, nisi prout antecedentibus vel consequentibus motibus connectuntur.

Jam igitur locus est primae discretioni a nobis propositae, qua secernuntur illi, qui a nobis sunt, ab aliis, qui a causa extrinseca, non tamen sine nobis proveniunt, sive sint boni sive mali.

§ II. — *Quae signa ad secernendos hosce motus ?*

PRAECIPUA signa in praxi haec esse dicimus :

PRIMO, quod qui a nobis sunt, naturae nostrae modum ac vires sequuntur, qualem scilicet sentimus in aliis nostris naturalibus et ordinariis operationibus ; qui vero a causa extrinseca, majorem habent vehementiam, quam scilicet manifeste sentimus et percipimus excedere vires nostras ordinarias.

1. Matth. x, 20.

SECUNDO. Eos qui in nobis sunt, clare percipimus a nobis initium sumere, et plene et perfecte elici ; alios primo impetu quasi aliunde deferri, et nos quasi agi et pati quodammodo, quamvis libere deinde illis assentiamur.

TERTIO. Primos sentimus plene esse in nostra libertate, et posse nos pro libito incipere, progredi et consummare, vel e contra intermittere, et omnino etiam omittere ; at aliorum initium non est in nostra potestate ; percipimus enim clare aliunde immitti, progressus vero non sine difficultate a nobis tolli potest.

QUARTO. Primi suaves sunt ; secundi vero cum impetu et vehementia.

QUINTO. Secundi sunt subiti et fiunt quasi in momento ut plurimum ; alii non sic.

SEXTO. Secundi nullam habent regulam aut ordinem, nec possumus eam praescribere, id est nec quoad objectum, nec quoad modum, nec quoad alias circumstantias ; pendent enim ab eo, de quo scriptum est: *Spiritus ubi vult spirat* (1), si sint boni ; a daemone vero si sint mali, cujus voluntas a nobis nec sciri nec ordinari potest. At qui a nobis sunt, ordini ac legibus a nobis praescriptis subjacent omnino; ut scilicet quando volumus, et quantum volumus, et de quacumque materia eliciantur.

§ III. — *Varietas naturae, temperamenti et ingenii consideranda.*

HIS signis illud est adjungendum, naturae, temperamenti ac ingenii naturalis varietatem esse considerandam, plurimumque conferre ad hanc discretionem : solebatque S. P. Ignatius prudenter dicere, saepe tribui solere daemoni, quae sunt naturalia. Nam cum

1. Joann. iij, 8.

sit aliquorum temperamentum biliosum, vel ex accidenti incidat quis in melancholiam, impetus vehementes patitur, sed naturales, ex illius praedominatione humoris provenientes. Similiter sunt, qui passiones habent vehementes, habitus valde radicatos, et circa objecta valde apta ad efficiendas in nobis commotiones gravissimas ; ideoque prudenter haec omnia sunt perpendenda.

Idem dicendum est de bonis motibus : nam saepe contingit ex ingenii subtilitate, ex vehementia imaginationis, ex temperamento sanguineo aut melancholico, vel aliis causis naturalibus, fieri in nobis commotiones lacrimarum, affectus vehementes, discursus et elevationes mentis ad sublimia per dilatationem conceptuum, et extra sensus mentem rapi. Quae videbuntur supernaturalia mulierculis et aliis simplicibus ; et confessarii facile etiam fallentur, cum tamen proveniant a causis naturalibus : sic etiam in malis, energumeni aut fascinati multi existimantur, qui morbo naturali laborant. Et haec de prima hac discretione sufficiant.

Caput ij. — De altera discretione, per regulas primae hebdomadae.

DE secunda discretione tractat S. P. Ignatius in regulis primae et secundae hebdomadae, in quibus breviter, proprie tamen et exquisite, simul omnia comprehendit, quae hac de re dici possunt : et haec inde sunt a nobis jam eruenda.

In regulis igitur primae hebdomadae tractat de discernendis mali spiritus motionibus a bonis, cum daemon aperte agit et ad malum impellit ; quod ut plurimum contingit in tironibus. In regulis vero secundae hebdomadae, cum daemon occulte, similem se bono spiritui

exhibendo, transfigurat se in Angelum lucis : et haec pertinent ad proficientes in via illuminativa ; et ad perfectos etiam. De utraque discretione ex ordine dicamus.

Quoad priorem, tria potissimum sunt explicanda, quae in regulis primae hebdomadae continentur.

PRIMO. Natura ac qualitas daemonis secundum potestatem et malitiam. Cum autem ipse agat pro modo suae naturae corruptae, ac malitiae, ex tali natura sapienter colligit S. P. Ignatius modum ejus in fallendo, et quid contra illum sit agendum : e contrario autem morem boni spiritus ; et haec habentur in regulis 12ª, 13ª et 14ª.

SECUNDO. Ponit S. P. Ignatius aliud principium nempe : malum spiritum agere pro similitudine et dissimilitudine, quam habet cum anima quam movet ; nam cum simili sibi servat unum modum, cum dissimili vero, contrarium. Pariter et bonus spiritus eodem utitur principio, at modo contrario penitus malo spiritui. Hoc autem habetur in secunda regula secundae hebdomadae ; ejus tamen praxis incipit etiam in prima, ut patet ex prima et secunda regula.

TERTIO. Cum uterque spiritus excitet in anima suas motiones, et per has agat in animam, quaenam sint hae motiones utriusque spiritus, et quidnam in illis agendum scire oportet ; et de his in 2ª, 3ª et 4ª regula tractat usque ad undecimam inclusive ; et sic plenissime prima discretio explicabitur.

§ I. — *De primo discretionis principio.*

PRIMUM principium, a quo pendent omnia quae ad priorem discretionem pertinent, hoc est : daemonem, pro qualitate naturae suae corruptae, modum suum

servare instigando *ad malum*. Investiganda est igitur natura ista ejusque conditiones, tum remedia tradenda ne ab eo superemur.

In primis igitur vocat S. P. Ignatius daemonem belli ducem ; agit autem bellum contra inimicum, id est contra Deum, et contra nos, propter Deum. Deus autem, ut summum bonum, nos in omne bonum inducit, ut per gratiam ac perfectionem donorum sanctificatos et a peccatis liberatos, post mortem in aeternam gloriam transferat. Daemon natura bonus, sed suo arbitrio malus, praetendit contrarium penitus ; id enim belli conditio postulat, ut inimicus in omnibus expugnetur : in peccatum igitur conatur inducere quantum potest, privare gratia omni ac perfectione, et per hujusmodi demerita homines sibi subjicere, et post mortem in aeternam damnationem suae similem pertrahere.

Hinc sequitur, *gratiam* Christi esse *militarem;* et volenti peccata vitare, ab eis liberari, in gratia conservari, et ad perfectionem spiritualem ascendere, vitam militis esse agendam per militiam spiritualem adversus daemonem ; ob idque permisisse Deum in nobis fomitem, extra nos daemonem, tum fomite, tum rebus hujus mundi utentem, ut in hac militia exercentes nos, et per eam Christum imitantes, victoriis multis potiti, et gratiam et dona perfectionis et vitam aeternam assequamur.

Arcem vocat ibidem S. P. Ignatius animam nostram, in qua occupanda tota belli vis et efficacia consistit : et hanc viribus omnibus tentat daemon expugnare, tum munire suis praesidiis, motionesque internas conatur in animam nostram inferre, quae excitent et inducant ad deliberatam voluntatem electionemque mali, in quo victoria ejus est posita. Deus contra, bonas motiones influit, quae juvent ad virtutem eligendam. In medio est voluntas humana libera. Idcirco maximi est momenti discernere malas a bonis motionibus, ut, rejectis

malis, per bonas ad gratiae et perfectionis statum perduci valeamus : et haec omnia habentur etiam in Evangelio, in parabola de forti armato, et alibi.

Dux habet milites et exercitum ordinatum. Daemon habet alios daemones sequaces, tum homines pessimos, qui alios inducunt ad malum. Quem autem daemones habeant dominii ac subjectionis ordinem inter se, et quomodo ad varia vitia varii et inclinentur et destinentur, habes in Cassiani *Collationibus* (VII, c. 32 ; coll. VIII, cc. 10, 15, 16). Contra, Deus habet immensos Angelorum exercitus, et bonorum hominum coetum Deo in salutem animarum cooperantium.

Malus belli Dux, pro sua superbia et victoriae desiderio, omissis omnibus curis, totus semper pertinacissime in belli istius negotiis summo animi conatu ac viribus est occupatus ; daemon enim semper vigilat in malum nostrum.

Quae autem sit ejus potestas, describit S. P. Ignatius (1) alia similitudine, cum ait : *Hostis noster naturam et morem muliebrem refert quoad imbecillitatem virium et animi pertinaciam.* Tantam igitur habet potestatem ac mulier, quae cum viro rixatur, nullam scilicet jure : sicut enim mulier nullum habet jus imperii ac potestatis in virum, ita post Christum daemon nullum penitus habet titulum potestatis in nos, sed est mere tyrannus, injustissime malum nostrum praetendens, permittente tamen Deo justissime. Nec similiter *de facto*, ut ita loquamur, habet aut potest quidquam contra nos ; in nobis autem e contra sunt vires validissimae adversus illum, et jus a Christo acquisitum eum debellandi, quemadmodum habet vir in mulierem : ideo in eadem regula dicitur animo et robore daemonem destitui, si contra eum nos videat animatos pugnam inire.

1. Reg. 12.

Sequitur hinc etiam, totam daemonis potestatem in nos pendere ab ignavia nostra ; nam si forti animo accedentibus statim cedit, igitur sola nostra ignavia invalescit. Quod et expresse sub exemplo ejusdem mulieris ibidem demonstratur ; nam sicut mulier, si quis audacter ei resistat, statim animo cadit ; si quis autem sit ignavus, fit contumax et furit : sic, ait S. Ignatius, daemonem se gerere contra nos.

Cum ergo daemon pertinacissime sit obstinatus contra genus humanum, ac totus deditus malo ac ruinae nostrae; et ex alia parte, nihil possit, cum actus quilibet gratiae divinae innixus, ac vel minima resistentia apta sit totum infernum fugare : sequitur daemonem, utpote qui haec penetret et saepe experiatur, esse valde timidum contra divinae gratiae insuperabilitatem, quamvis sit propter odium in nos audacissimus ; simulque agitari gravissimis et contrariis stimulis, scilicet pervicaciae et timoris; in ipsaque pugna esse valde anxium, suspensum, summeque laborare et premi angustiis multo majoribus, quam homo ipse qui tentatur. Videt enim periculum perdendi, et saepissime se ipsum perdit sua temeritate, cum nesciat quid futurum sit. Hoc autem Patres antiqui sapienter ex Cassiano [1] observarunt, et deducitur ex eodem exemplo S. P. Ignatii de foemina; valdeque juvat militem Christi ea intelligere, quo animosior reddatur ad pugnam.

Hinc sequitur porro daemonem, quod potestati deest (nullam enim habet, cum sola apparentia terreat), supplere astutia per sua stratagemata; unde comparatur apud antiquos Patres latroni, qui, cum sit timidus, tenebras quaerit, solaque astutia agit ut furetur. Ob id toties nos Dominus in Evangelio admonet, ut cauti et vigilantes simus : et S. P. Ignatius diabolum

1. Coll. VII. c. 21.

comparat adultero qui, ut pravum suum intentum consequatur, occulte et per insidias agit.

Ex his omnibus colligitur ordinarius modus procedendi daemonis contra nos, vi suae malitiae ac naturae corruptae.

Primo. Cum nihil possit ex se, et nihilominus plurima in nos mala tentare velit ex odio, curat quam maxime desidiam ignaviamque in nobis, ut per eam contra nos praevaleat; quae vitia summe odit Spiritus Sanctus. Hac arte plurimos peccatores fallit quos, in deliciis occupatos, distrahit ab omni sollicitudine salutis, et quemadmodum, qui regem divertere volunt a seria cogitatione sui regiminis, ut ipsi dominentur, curant illi continuo delicias omnes proponere, ut in eis occupatus ignavus fiat penitus, et nihil jam curet negotia regni, etiam in imminentibus gravissimis periculis belli, vel similibus, et in otio deliciarum marcescat, ipsi vero dominentur, et faciant quidquid velint: sic daemon ante omnia, ac maxime per delicias hujus vitae, detinet plurimos et dementat, proponendo singulis horis et momentis varia, ut nec minimum tempus illis detur; et sic ad eam ignaviam deducit, a qua manat omnis ejus, ut diximus, potestas in homines, ut peccatis obrutos, nihilque id malum curantes, morte improvisa correptos in infernum demergat.

Simili modo agit cum religiosis tepidis, procurando illis commoda sua, ut de perfectione ac solidis virtutibus nihil sint penitus solliciti; ex quo ipse multa mala ad eorum ruinam fabricat.

Contra vero, Spiritus Sanctus curat quam maxime, ut solliciti simus, vigilantes et cauti, ut novissima praevidentes timeamus, ut hinc diligentissimi efficiamur in omnibus, foventes custodiam cordis et sensuum, reflectamusque in daemonis artes, in pericula imminentia,

vitemusque occasiones mali, armemur ac praeparemur contra omnes insidias diaboli, eo modo quo, etiam tempore pacis, praesidium arcis a duce strenue custodiri solet : et haec omnia evidenter deducuntur ex qualitatibus utriusque spiritus, ut patet.

Secundo. Quia timidus est daemon, quam maxime, more latronum, quaerit tenebras ; et inducit eum cui suggestiones immittit, ut in tenebris etiam ambulet, teneatque suggestiones illas intra se latentes, nemini dicat, potissimum superiori, confessario, vel iis qui recte et sancte ambulant coram Deo; tanta enim est virtus hujus communicationis, ut vel sola aperitione cordis saepe contingat ita daemonem animo dejici, ut penitus abscedat ; sicut latro, cum intelligit vel minimo nutu se esse deprehensum, vel adulter, ut habetur in regula 13ª primae hebdomadae. Praeterea vero, cum sit valde superbus, existimat eum qui ad alium hominem pro consilio ac directione recurrit, contemnere ea quae ille immittit, et iratus ad tempus abscedit, ac tentare desinit. In hunc finem diabolus procurat, quantum fieri potest, omnibus mediis hoc silentium ; sunt autem media quibus utitur haec praecipua :

1. Verecundia, quam inducit, ne quis se prodat.

2. Diffidentia, suspiciones, quod non ametur a suo superiore, et similia.

3. Antipathia quaedam ac repugnantia naturalis, quae avertit animum a mutuo consortio ac communicatione.

4. Natura ac temperamentum melancholicum et difficile ad sui communicationem; vel sagax et astutum, vel nimium sui amans, et timens turpia, quae occurrunt, aperire.

5. Falsa existimatio, hanc communicationem non esse necessariam, vel quod se aptum esse et satis in-

structum sibi persuadet, cui opus non sit mediis externis; vel quia non intelligit hujus rei mysterium et necessitatem.

6. Timor et reverentia, qua vel dubitat, ne alteri sit molestus, vel aliud hujusmodi imaginatur.

Contra vero, spiritus bonus contrariis mediis efficaciter impellit animam ad hanc communicationem, tamquam valde necessariam; cujus cum sit instrumentum Instructor, curare debet et ipse, ut haec impedimenta tollat, ac signis quam maximis amoris et confidentiae praebeat alteri aditum ad se liberrimum, tradatque illi propterea remedia huic morbo.

Tertio. Quando non potest declinare pugnam, observat duo, quae ad astutiam referuntur. Alterum, quod ex temperamento, et aliis conditionibus naturalibus acquisitis, et etiam gratuitis, callido quodam circuitu et inquisitione explorat, ut ait S. P. Ignatius, quibus sit destituta, quibusve munita praesidiis anima, ut debiliorem partem aggrediatur.

Contra vero, Dei ac boni spiritus mos est, omnia praesidia conferre, cui ut correspondeat, debet quilibet diligenter perscrutari intima sua, intelligere defectus principaliores, omnia adhibere media, ut consequatur lumen clarum et efficax, quo seipsum agnoscat et emendet, potissimum ubi majus imminet periculum, et se debiliorem sentit. In capite autem de examine, de hujusmodi lumine diximus: atque haec habentur in regula 14ª primae hebdomadae.

Hinc patet, posse nos daemonem habere magistrum in re maximi momenti; nam ex tentationibus, quas immittit, per hanc regulam cognoscere valemus defectus nostros praecipuos, et in quibus negligentiores simus, vel egeamus majori studio; et sic uti daemone tamquam magistro, ex malo ejus maximum

bonum, cognitionem scilicet nostrorum defectuum, colligendo.

Alterum habetur in regula duodecima : quod, cum ad pugnam tentationis est deveniendum, observet plurimum primum illum congressum, et quo animo spiritualis athleta accedat : nam si pusillo et timido, ferocissime irruit. Contra, si conspiciat eum corde imperterrito reluctari, animo ac robore destituitur, more mulieris rixantis cum viro, ut dictum est.

Initium igitur pugnae contra daemonem animose nos subire magni refert, certos quod daemon est foemina quacumque vilior, quod Deus fidelis est, quod minima gratia sufficit ad totum infernum debellandum ; et hac fide debemus fortiter ei resistere. Quod si diu ac moleste tentatio urgeat, faciat homo semper quod in se est animo generoso ; tum humiliet se, penitusque divino beneplacito committat ac subjiciat ; petat instanter opem, et offerat se promptum Deo etiamsi totam vitam vellet in ea tentatione traduci. Et haec satis de primo hoc principio.

§ II. — *De secundo discretionis principio.*

SEQUITUR *secundum principium*, ex quo colliguntur multa alia circa praxim utriusque spiritus, cujus licet meminerit S. P. Ignatius in regula septima secundae hebdomadae, spectat nihilominus etiam ad primam. Est autem hoc : daemonem agere in animam pro qualitate dispositionis, quam in ea conspicit, et pro relatione ac proportione, quam ipse habet ad eam. Quoniam vero dispositiones animarum ad duo capita reducuntur inter se contraria ; nam omnis anima vel mala est per peccatum, vel bona per gratiam; sequitur, etiam daemonem contrario modo se gerere in illis. Spiritus autem boni mos cum sit contrarius malo, ex contrario colligi facile potest.

Quod ut explicetur, dicimus, pro similitudine aut dissimilitudine cum ipsa anima utrumque spiritum agere : necesse est enim animam aut similem aut dissimilem esse spiritui sive bono sive malo ; quae vero similis est bono, dissimilis est malo, et contra.

Spiritus igitur malus cum servet hoc idem principium quod et bonus, ut agat cum anima pro similitudine aut dissimilitudine ejus ; et cum malus sit contrarius bono, hinc fit, ut vi ejusdem principii utrique communis, modus ac praxis procedendi unius sit contraria penitus alteri.

Pendet autem haec doctrina ex eo quod simile agit in simile ac favet illi et amicum est, dissimili vero est inimicum, et illud pro viribus destruit.

Et quum anima, quae in peccatis haeret, similis sit daemoni, ob id favet illi, licet fraudulenter, ut in peccatum aliud trahat et in damnationem : contra vero ei, qui a peccato recedit, est omnino contrarius, et vexat eum quantum potest, ut a gratia dejiciat.

Anima vero bona similis est bono spiritui, et mala est illi dissimilis ; ideo bene agit cum bona, vexat autem malam, ut inducat ad bonum.

Hinc sequuntur ea, quae habentur in regula prima et secunda primae hebdomadae, et regula septima secundae ; nam modus utriusque spiritus, vi hujus sympathiae aut antipathiae cum anima, vel sumitur a re ipsa vel a modo agendi. Quorum primum explicatur prima et secunda regula primae hebdomadae ; secundum vero septima secundae.

Primo igitur attendere oportet, *quid* agat uterque spiritus in anima ; *secundo, quomodo* agat.

Est autem advertendum, quod discretio haec spirituum, quae pertinet ad primam hebdomadam, versatur circa duo genera animarum, quorum primum est ex una parte, existentis in peccato mortali ; ex altera,

ejus qui, conversus ad Deum, incipit iter viae purgativae. Secundum est in Religione aut simili statu, ex una parte, ejus qui in tepiditate persistit ; (sicut enim peccator primae gratiae resistit, sic tepidus perfectioni); ex altera, illius qui fervens est, et per eamdem viam purgativam ad perfectionem aspirat in eaque progreditur.

Sua autem proportione idem prorsus est mos utriusque spiritus cum utroque genere : nam quod facit uterque spiritus cum peccatore, facit etiam cum religioso tepido ; quod praestat cum converso ad primam gratiam, hoc idem cum eo qui in via est ad perfectionem, ut clarius dicemus.

Incipientes igitur a malo spiritu dicimus, quod illis, qui sunt in peccato mortali et in eo vivunt, addentes peccata peccatis, favet spiritus malus, ut plurimum proponendo ac procurando illis carnis illecebras, et sensuum delectationes, varietatem earum, ac summam in eis satisfactionem, quietem, et prosperitatem in omnibus quae spectant ad pecunias, ad sanitatem, ad eventus laetos, ad honores, et similia, ut illos in peccatis detineat ; de quibus in libro Job : *Ducunt in bonis dies suos, et in puncto ad inferna descendunt* (1) : curat pro viribus divertere animum horum ab omni cogitatione seria et tristi, et potissimum circa salutem animae ; quod si non possit penitus efficere, curat, ut, cum audiunt de his aut cogitant, non intelligant gravitatem peccati ; immo videatur illis nihil esse, et mortem esse quid remotissimum, quasi nunquam essent morituri ; spiritualia omnia existiment ludibria et nugas, utque deterreantur eorum auditu, quasi vita in gratia sit quid asperum et durissimum ; contra vero, ut de bonis mundanis et hujus saeculi alta concipiant

1. Job. xxj, 13.

et multa sperent. Quod si urgeantur stimulis verbi Dei aut divinarum inspirationum, dilatat vane animum eorum in divina misericordia ; vitam longam pollicetur ; persuadet satis esse vel brevissimum tempus ad poenitentiam, ut eam differant de die in diem, et vacent interim suis delectationibus, quarum inhaesionem vehementissimam efficit, ut durissimum et quasi impossibile videatur illis eas deserere : sicque habitibus pravis, quasi catenis, continuo arctius constringit, tenet semper in his occupatos, ne locus ullus sit Deo et animae saluti. Et haec quoad res ipsas exteriores.

Quoad modum vero, cum peccatoribus daemon suaviter ac leniter se illis insinuat in omnibus quae dicta sunt ; et ratio est, quia peccator est illi similis.

Bonus autem spiritus contra, et quoad res ipsas continuo urget peccatorem periculis maximis et continuis et imminentibus vitae, fortunae et rebus omnibus hujus mundi, nec non curis ac tristitiis innumeris, quas secum afferunt ; persuadet nullam in illis requiem et satietatem reperiri ; idque experimentis quotidianis ostendit ; urget scrupulis et stimulis conscientiae, maxime vero, terrore mortis, inferni, ac gravitate peccati, aliisque similibus, ut a peccato deterreat. Quoad modum, aspere et vehementer intima ejus penetrat ac concutit in eumdem finem ; ratio est dissimilitudo et antipathia boni spiritus erga peccatorem.

Contra vero omnino se gerunt malus et bonus spiritus cum illo qui peccatum abhorret, et vult ab illo purgari, ut habetur in secunda regula primae hebdomadae.

Est autem considerandum, quod motus boni et mali spiritus non solum sunt illi, quos S. P. Ignatius ponit in prima regula, consolationis scilicet et desolationis seu tristitiae ; sed solum exempli gratia hos ponit. Addendum est autem plurimos esse alios motus utriusque

spiritus, quod patet; nam plures ex illis in secunda regula connumerat, et in annotatione nona similiter. Intentum autem S. P. Ignatii est, demonstrare spiritum malum contrarium esse bono ; et utrumque similes sibi placide tractare, ut diximus, dissimiles vero urgere ac perturbare. Verum est autem praecipuos motus esse interioris consolationis et tristitiae, quia omnes alii terminantur in horum alterutrum. Unde et Philosophus in moralibus docuit, virtutes et vitia versari circa voluptatem et dolorem.

Quod si quis quaerat, quinam sint hi motus ; respondendum videtur, ex animi passionibus sensitivis sumi posse numerum eorum, et reduci ad duo capita, ut quidam pro objecto habeant bonum, alii malum. Primi generis sunt amor, desiderium, spes, audacia et similes, qui terminantur in laetitiam. Secundi, odium, fuga, timor, ira et similes, qui desinunt in tristitiam.

Uterque igitur spiritus, cum dissimili utitur motibus in malum, terminando in tristitiam et aversionem, vel a malo vero, ut bonus spiritus a peccato ; vel ab apparenti, ut malus spiritus a gratia. Cum sibi simili vero, utuntur motibus in bonum, qui laetitia animum afficiant ; malus circa bonum apparens voluptatis et alia ; bonus vero circa bona ad salutem et gratiam spectantia.

Applicandus est autem idem modus utriusque spiritus tepido religioso et ferventi ; ut intelligamus tepidum tanquam aversum a perfectione, sicuti est peccator a gratia, esse dissimilem bono spiritui, qui perfectionem amat ; similem vero malo, qui eam odit ; tractarique ab eodem spiritu eadem proportione, qua diximus ; contra vero ferventem. Quod paulo fusius est explicandum.

Tepidus religiosus is est, qui difficultate quam sen-

tit in virtutibus deterritus, et tentationibus cedens, transacto primo spiritus fervore, deliberate constituit vitam agere commodam et liberam, externa quadam specie morum et politica contentus, abhorrens ab omni progressu in virtutibus et a vera perfectione spiritus ; mille etiam defectibus gravibus est irretitus. Hic, cum similis sit malo spiritui, ab eo fovetur ; ideo solet daemon huic procurare, ut sentiat magnam animi quietem ac satisfactionem in suo modo vivendi ; utque animo elatus et superbus, existimet se et scire multa ac intelligere de virtute, aliorumque consilia ac monita spernendo, statum, in quo est, optimum esse, non egere se labore aut progressu ; cumque nihil faciat, in vanisque ac inutilibus occupetur, se tamen strenue putet laborare, alios condemnando liberrime. Procurat etiam ut interim et semper magis sit deditus commodis suis, nutriat iram, concupiscentiam aliasque passiones; fruatur apparenti quadam et falsa animi quiete, praesertim quia non sentit tentationes aut agitationes multas. Nec mirum, cum daemoni in plurimis cedat et consentiat ; qui hac fallacia detinet illum tenacius in suis defectibus ; desinitque tentare circa alia graviora et quae aperte sint peccata mortalia, ut persuasum habeat ac jactet se bonum esse et propterea ab omni tentatione immunem : et ita securius fruatur libertate illa sua vivendi, amoremque proprium ac passiones semper vehementiores efficiat. Hinc crescit in dies taedium et fastidium rerum spiritualium, et omnium mediorum, quae secundum suum institutum promovent animam ad perfectionem, sensimque ac paulatim ruit in praecipitium extremae ruinae et malorum.

Contra vero, spiritus bonus urget continuis stimulis ejus conscientiam, perturbat animum, ostendit statum, in quo vivit, esse malum, deterret. Et quemadmodum medicina, antequam malos humores repellat, solet do-

lores in visceribus et perturbationes efficere ; sic interiora ejus exagitat, ut resipiscat et emendetur.

Cum illo autem qui vere et coram Deo proponit praeteritae vitae in tepiditate transactae emendationem, vel, si non eget tali mutatione, et novitius est, et cum fervore spiritus ad solidas virtutes et perfectionem aspirat, daemon et aspere agit et pravos motus tristitiae, taedii, difficultatis ac similes excitat, potissimum vero diffidentiam, qua impossibile videatur illi perseverare in incoeptis ; seu etiam stimulos varios et vehementes voluptatum ac vitiorum praeteritorum, difficultatem patiendi incommoda instituti varia, et alia ejusmodi multa.

At bonus spiritus et suaviter illi se insinuat, et facilitatem ad omnia procurat, atque demonstrat, proposita divinae gratiae virtute et spiritus vocationis efficacia, aliisque similibus.

Circa haec autem, quae dicta sunt de secundo principio, nonnulla sunt advertenda.

PRIMUM est, quod regulae boni ac mali spiritus jam dictae intelliguntur verae *ut plurimum :* nam aliquando fallunt, cum daemon possit et malos affligere, vexare, eis scrupulos injicere et dure cum illis agere; similiter et bonus cum bonis. Contra vero, aliquando contingit malos a bono spiritu nonnihil consolationis sentire, et bonos similiter a malo. Sed haec raro eveniunt: ut autem, cum eveniunt, plenius intelligantur, dicimus:

SECUNDO. Si quando bonus spiritus affligit bonos ac sibi similes, semper tamen terminat in quietem et consolationem internam. Affligit enim ut ad bonum promoveat. Et malus similiter, licet se praebeat suavem bonis, desinit tamen semper in angustias et in inconstantiam, et in malum, ut clarius dicemus, cum ea explicabuntur, quae ad secundam hebdomadam spectant.

Tertio. Malus spiritus fervores quosdam vehementes aliquando efficit in bonum, qui mox evanescentes, desinant in maximam tristitiam ac difficultatem, ut animam reddat inconstantem, et in ruinam majorem inducat.

Quarto. Consolationes spirituales procurat, ut gustu illarum inebriati, et illas ostentantes ac jactantes, cum postea cessant et ipsemet illas subtrahit, crescat in nobis difficultas in via Domini ; et ut amorem proprium in consolationibus illis nutriamus, et amemus magis dona quam Deum donatorem.

Quinto. Spiritus bonus, si aliquando terrorem inducit, terminat semper in suavitatem, ut dictum est. Tum virtutem reddit aliquando arduam, ut tentet aut probet nos ; at post haec facilitat omnia. Non raro imbecillitatem et molestiam inducit, ut abstrahat animum ab amore proprio et fiducia in mediis creatis, ut a solo Deo pendeat ; et, cum hoc fecerit, convertit omnia in magnam quietem animi, ac consolationem. Denique tentat nos, an simus parati pro amore Dei pati.

Ex quo patet, quod, etiam si regulae jam dictae habeant aliquam exceptionem, et hoc raro, tamen, eo etiam tempore cum servare non videntur, illae suum servant sensum ac modum. Nam licet bonus spiritus cum bonis aliquid asperitatis prae se ferat, non est haec vera asperitas, sed potius amor ; desinitque in bonum et in consolationem, juxta regulam jam allatam. Et malus similiter in malum desinit semper, ita ut dici possit regulam illam semper esse veram.

Caput iij. — De consolatione et desolatione spirituali.

TERTIO loco superest, ut scrutemur naturam ac qualitatem internorum motuum, ut intelligamus inde, quomodo nos gerere debeamus in illis, cum hactenus, quomodo se gerant in nobis bonus ac malus spiritus, aperte per duo principia sit demonstratum. Media etiam et praecepta practica in omnibus his tradenda sunt. De hac materia S. P. Ignatius in tertia regula primae hebdomadae usque ad undecimam tractat.

PRIMO igitur supponendum est, motus omnes internos, tum appetitus sensitivi, tum rationalis qui est ipsa voluntas, circa bonum seu malum oppositum, tam verum quam apparens, esse sex, qui concupiscibili tribuuntur.

Versantur ex his tres circa bonum: amor, delectatio, desiderium ; si qui vero alii esse videntur, ad hos referuntur. Nam zelus dicit intensum amorem, quo rivalem non patimur ; concupiscentia est desiderium vehemens, languor et similia sunt ejus et amoris effectus ; exultatio, hilaritas et jucunditas, delectationis dicunt intensionem cum signo externo ; prima quidem in corde, secunda in vultu, tertia in aliis actibus : jubilus autem et similia excessum gaudii interni significant.

Circa malum huic bono oppositum : odium, fuga, tristitia, et hi alios secum trahunt ; nam abominatio seu horror, odium intensum notat : tristitia nimia primo fit taedium; tum, cum actiones retardat, et vocem ipsam praecludit, fit acedia ; de malo alterius ut proprio tristari, misericordia est ; de bono, invidia : de malorum prosperitate, nemesis.

In irascibili vero quinque sunt motus : circa bonum arduum absens, spes et desperatio ; spes intensa est

praesumptio ; circa malum absens et arduum, audacia, cujus intensio est temeritas ; deinde timor, qui multos alios affectus secum trahit. Nam in imaginatione vehementi ob novitatem seu altitudinem objecti, est admiratio ; cum futurum infortunium grave imminet, fit, initio quidem, perturbatio ; tum stupor et trepidatio, seu angor vel anxietas ; et, quatenus superat vires, ignavia sive segnities. Si additur turpitudo in se, fit verecundia; in aliorum opinione, erubescentia. Timor autem culpae nomen proprium scrupuli sortitus est apud Theologos. Circa malum arduum praesens est ira, cujus intensio incidit in furorem et rabiem. Bonus igitur ac malus spiritus, pro potestate quam habent in hominem, necessario aliquem vel plures ex his motibus excitant.

SECUNDO dicimus, omnes ac singulos ab amore tamquam primo fonte pendere ac emanare, ut patet. Fundamentum enim et radix illorum semper est amor alicujus boni seu veri seu apparentis, a quo initium sumunt et progressum; finem vero ac terminum suum omnes, similiter ac singuli, habent non unum, sed disjunctive duos, scilicet gaudium vel tristitiam. Nam, qui bonum respiciunt, desinunt in laetitiam, qui malum, in dolorem : et in irascibili Philosophus et S. Thomas id testantur; ut de ira, quam aiunt esse dulcem ut mel, cum ex alia parte certum sit eam habere etiam admixtam tristitiam ; et in aliis similiter : nam, ut recte habet S. Thomas, omnes affectus irascibilis, sicuti oriuntur a concupiscibili, ita in eamdem desinunt, id est, in laetitiam vel tristitiam (1).

Cum autem in nobis sit duplex amor, alter bonus, quo Deum et virtutem omniaque vere bona diligimus ; alter vitiosus, qui dicitur amor proprius, quo nobis

1. Summ. theol. 1ª 2ae q. XXV art. 1.

commoda et jucunda appetimus, quae boni speciem tantum et apparentiam habent ; bonus spiritus innititur primo amori illumque fovet, ex quo omnes alios motus deducit ac promovet ; malus vero, ex amore vitioso et bono apparenti : et quoniam hi duo amores contrarii sunt, in oppositos etiam fines tendunt, et contrarios motus excitant, qui secum pugnant nec simul consistere possunt: hinc oritur pugna interna utriusque spiritus.

Cum autem bellum quodcumque disciplinam ac peritiam requirat militarem, sine qua non potest nisi raro et casu haberi victoria ; ob id horum spirituum discretio, et affectuum, qui ab illis commoventur, et cognitio mediorum ac praeceptorum applicatio, cum prudentia illis debita, sunt omnium maxime necessaria. Haec autem clarius explicant, quae dicta sunt hucusque de utroque spiritu.

Sequitur hinc etiam, quod, licet tam multi ac varii sint motus interni utriusque spiritus, S. P. Ignatius potissimum sistit in consolationibus sive laetitiis, et desolationibus sive tristitiis ; has tantum definit ac perpendit ; ex his dijudicat spirituum varietatem ; et praecepta fere omnia de his tradit, ut patet a tertia usque ad undecimam regulam, et in reliquis omnibus; nam, in quocumque motu interno, sicut includitur virtute amor aliquis tamquam ejus fons, sic necesse est, ut convertatur in tristitiam vel delectationem ; et ob id timor, ira et similes omnes solent vocari tristitiae ac desolationes ; spes vero, amor et similes appellantur delectationes : unde vitii et virtutis tota ratio ac momentum in horum discretione et moderatione est posita, quod et Philosophus dicit, et Christus Dominus alte insinuavit in illa parabola de pueris, qui in foro cantant ac lamentantur : nam, qui recte novit tristari et laetari, hic sane omnium aliorum motuum

et affectuum erit moderator et architectus. Sapienter etiam, cum definit consolationem, attingit ejus primum fontem, nempe amorem ; nam regula tertia ait, consolationem spiritualem esse internam motionem, qua anima exardescit in amorem Dei, et nihil creati diligit nisi propter Deum ; ex quo sequitur, consolationem carnalem oppositam provenire ex amore sui et creaturarum inordinato, et ex amore excitari deinceps omnes alios motus. Nec tamen consolationes sive tristitias quascumque in illis regulis observat, sed tantum spirituales; nam, quoad carnales, tota difficultas est posita in illis superandis, non autem in discernendis.

Spirituales autem consolationes ac tristitiae et multiplices sunt possuntque a variis spiritibus immitti ; et exactam instructionem requirunt, quae potissimum in quatuor consistit, quae jam ex iisdem S. P. Ignatii regulis sunt eruenda.

Primum est, quotuplex sit consolatio et desolatio, et quae utriusque sint species.

Secundum. A quo spiritu provenire possint, et quibus de causis.

Tertium. Quibus signis sint inter se discernendae.

Quartum. Quae sint praecepta servanda in singulis, ut finem nostrum spiritualem, scilicet perfectionem, consequamur.

§ I. — *Utriusque divisio.*

DE primo clare habetur in tertia et quarta regula S. P. Ignatii ; at clarius ista sunt explicanda, quoniam in variis exemplis, quae ibi tradit, multa recondita indicantur, quae tamen cum iisdem exemplis, quasi unum essent, confunduntur.

Omissa consolatione circa objectum malum seu imperfectum, cum scilicet quis gaudet de defectibus et tepiditate, vel de rebus vanis et similibus, quod

constat malum esse et non posse nisi a malo spiritu provenire ; certum est consolationem spiritualem esse posse duplicem : alteram de bonis honestis, quae expresse mala non sunt, indifferentibus tamen, et his quidem vel naturalibus, ut cum de aliquo naturae dono quis laetatur, seu de actione naturali, de officio, de loco et similibus, vel gratuitis et consequentibus ad ea, qualis fuit Apostolorum exultatio, eo quod daemonia subjicerentur eis : alteram de virtutibus sive ad eas consequentibus, et hanc tantum describit S. P. Ignatius regula tertia, et desolationem illi oppositam regula quarta. Haec autem *triplex* est, ut ex ipsismet exemplis colligitur ; quae distinctio maxime confert ad praxim, et ad discretionem motuum internorum. *Prima* est *dulcedo* illa gustus et delectatio, quae *consequitur* actum divini amoris, seu alium similem, quem Theologi fervorem charitatis appellant ; estque nihil aliud, quam passio quaedam consequens ipsam operationem, cujus convenientiam cum mens percipiat per reflexionem in ipsum opus, affectus dilatatur, et gustat, et saepe redundat in sensum, movetque ad lacrimas et alia ejusmodi. Hanc S. P. Ignatius describens ait tunc adesse, *quando per internam quamdam motionem exardescit anima in amorem Creatoris sui* (1).

Secunda est in *actu ipso* virtutis, per quem virtus ipsa in nobis augetur, percipiturque robur, satisfactio et efficacia in illo opere ; et haec esse potest sine prima, immo cum desolatione illi opposita, ut postea dicemus, et patet in laboribus, aerumnis, ac tribulationibus Sanctorum, in quibus sine interno gustu, immo cum maximo sensu doloris, operabantur strenue et cum magna efficacia ac virili quodam animi sensu. De hac S. P. Ignatius: *Consolatio quoque dici potest fidei, spei et*

1. Reg. 3a prim. hebd. initio.

charitatis quodlibet augmentum (1). Certum est autem, quod actus, quo virtus augetur, ut plurimum debet esse validus ac vehemens.

Tertia est *quies* animi et *pax*, non quaecumque, nam in supradictis est aliquando quies, sed in parte superiori et circa divinum beneplacitum : cum scilicet, hoc solum quaerimus in omnibus et in eo quiescimus, juxta illud : *Et in terra pax hominibus bonae voluntatis* (2) ; de qua Apostolus : *Et pax Dei, quae exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra* (3). Et S. P. Ignatius : *Laetitia omnis quae animam ad quietem et pacem cum Domino habendam solet incitare* (4) : et hanc potest quis habere, etiam si caret prima et secunda consolatione, cum scilicet, ex animi tristitia, nullum in se virtutis sentit augmentum, quamvis bene procedat.

Desolatio similiter opposita triplex est, scilicet : *mentis tristitia* et motus quicumque illi annexi ; *imminutio virtutis* in voluntate per tepiditatem, ex qua moeror sequitur et desolatio multiplex secundum motuum varietatem; denique *inquietudo* ac inconstantia mentis et voluntatis : et haec de primo capite.

§ II. — *Causae.*

QUOAD consolationem, si loquamur de illa, quae est circa bona indifferentia, vel naturalia vel gratuita, certum est, quod procedit ab amore proprii commodi, et ideo potest a malo spiritu perverti. Unde Salvator repressit eam in Apostolis, cum dixit : *Videbam Satanam tamquam fulgur de coelo cadentem... Verumtamen in hoc nolite gaudere quia spiritus vobis subjiciuntur* (5). Potest etiam dirigi a bono spiritu, si cum debita moderatione referatur

1. Ibid. inferius. — 2. Luc. ij, 14. — 3. Philip. iv, 7. — 4. Reg. 3ª prim. hebd. in fine. — 5. Luc. x. 18 et 20.

in Deum. Si autem loquamur de alia triplici a S. P. Ignatio descripta, quoad primam constat ex sua natura esse annexam bono spiritui, et ex amore Dei provenire, ut ait S. P. Ignatius ; non esse tamen per se sanctam ; nam non est ipsa gratia nec opus ejus, sed passio quaedam illud consequens, sicut decor juventutem, ut ait Philosophus. Ob id, licet per se ad bonum spiritum spectet, et ab amore divino proveniens ad illum excitet, tamen per accidens, potest illi malus spiritus etiam immisceri. Ratio est, quia hujusmodi gustus circa objecta divina potest, juvante daemone, viribus naturae a nobis causari, vel ex temperamenti qualitate in illis, in quibus sanguis abundat, qui facillime commoventur, et copiam lacrimarum effundunt ; vel ex amore proprio, qui potest valde foveri, cum hujusmodi delectationes excedant omnium carnalium dulcedinem, et aliis multis modis. Potest etiam daemon divinis consolationibus se immiscere et eas inquinare, ut patet, idque plurimis viis ac fallaciis, de quibus dicetur postea. Secunda consolatio, licet proprii amoris nonnihil admixtum habere possit, et hac ratione aliquid spiritus malus in ea possit, non est tamen hoc praesentis loci, sed inferius in secunda hebdomada tractabitur.

Simpliciter autem dicendum est eam a bono tantum spiritu provenire, et multo magis tertiam, quae est omnium perfectissima, vera scilicet animi quies ; nam de ficta et inani nihil loquimur, cum haec confundatur cum prima delectatione. Quoad desolationem oppositam, prima est per se a daemone ; permissive autem et per subtractionem est etiam a Deo ; secunda et tertia sunt semper a malo spiritu.

§ III. — *Signa quibus discernantur.*

JAM veniamus ad discretionem horum spirituum. *Primo* igitur est maximi momenti discernere practice primam consolationem a secunda : nam speculative jam descripsimus utramque : praxis autem in eo consistit, ut intelligamus non esse inter se necessario connexas : nam potest esse prima sine secunda, et e contra secunda sine prima ; potest enim esse gustus etiam vehemens, sine ullo progressu seu augmento virtutis, immo cum detrimento, quando scilicet sistimus in ipso gustu et illi innitimur, cum jactantiam adjungimus, et similia ; in quo multi falluntur : contra vero, potest esse augmentum virtutis per actus efficaces, sine ullo gustu spirituali, immo cum gravibus desolationibus ; in quo etiam errant non pauci. Hinc autem patet distinctio clara in praxi harum consolationum ; unde tirones, cum deseruntur a prima, si in secunda persistant, bene habent, quamvis hoc illi non credant nisi instruantur ; estque procurandum, ut in secundam maxime convertant oculos mentis et affectum, in illam incumbant et animentur valde.

Est et *alia* harum consolationum discretio, quae est magni momenti;quod prima non est valde sancta per se, sed solum est stimulus ad bonum, si caute et recte ea utamur : non enim est actus amoris aut virtutis, sed est passio inde consequens, potestque multis modis perverti, et in malum tendere, nec est magni facienda ; at secunda, cum contineat augmentum virtutis, vere sancta est et magni aestimanda ; similiter et tertia.

Sequitur *tertio* etiam in praxi, quod prima consolatio pugnat cum tristitia in primo genere desolationis ; ideoque expellitur per eam et per quamcumque passionem quae est circa malum, odium scilicet, fugam, timorem et similia. At secunda non pugnat, ut diximus ;

quod patet in odio peccati, et poenitentia, quae consistit in dolore; et tamen, ut testatur Augustinus, fit libentissime, id est voluntas illam eligit prompte: est enim virtus.

At quoniam, ut diximus, prima consolatio potest esse a Deo et etiam a daemone, vel saltem ab illo perverti, signa etiam haec discernendi sunt necessaria; sunt autem quinque praecipua.

PRIMO enim, consolatio divina movet animam ad humilitatem puram, qua de se vilissime sentit, et est illi gratum, quod alii idem existiment, et sic ab omnibus nihili fiat; sinceram, sine ulla peccatorum excusatione, illa sibi soli, non daemoni aut aliis causis sive occasionibus tribuendo; et profundam, qua in se nihil penitus nisi malum conspiciat, et in hac sua vilitate glorietur coram Deo, quamvis illi summe peccatum displiceat. Contra vero, quae est a malo spiritu, sui parit existimationem, et in se et apud alios, non sine jactantia et laudum desiderio, aliisque miseriis.

SECUNDO. Divina consolatio promovet animam ad quaerendum divinum beneplacitum pure, ut illi placeat, nec aliud intendat aut prosequatur, nec labores, leges et similia recuset, ut Deo conformetur: quae autem a daemone fovetur, quaerit quae sua sunt, et proprio amori ac voluntati obsecundat.

TERTIO. Excitat in homine divina consolatio spem, ac fiduciam in Deum propter ejus summam bonitatem sine suis meritis, cui penitus et in omnibus nititur; altera vero multa praesumere facit quasi aliquid ex nobis simus.

QUARTO. Exultat anima in Deo per divinam consolationem sine medio ullo creaturae; vel, si intercedat medium, (ut cum ex charitate in proximum et affe-

ctione, et aliis ejusmodi motivis, quorum omnium optimum est Christi humanitas, ejusque merita et dolores, movetur) inde statim fertur in Deum ipsum immediate ; ac per ejus attributa, sapientiam nimirum, bonitatem, misericordiam et alia, laetatur in Domino Deo suo, et in eum unice et altissime laetitiam suam terminat et effundit : contra vero malus spiritus miscet cum consolatione divina humanam, quae ex creatis est, et occulte illam inquinat atque contaminat.

QUINTO. In ipsa consolatione, quae a Deo est, anima non curat valde nec innititur ipsi consolationi, sed per donum transit ad donantem, illumque glorificat. Daemon vero procurat, ut has consolationes valde admiremur, et in illis sistamus ac gloriemur.

In desolatione autem, *primo* discernenda est causa interna, id est utrum nostra culpa proveniat necne ; quod judicium, si periculum in nobis sit errandi, est committendum nostris majoribus, sive eorum consilio est dirigendum : *secundo* deinde, causa etiam externa est discernenda, id est proveniatne a bono, an a malo spiritu.

Signa autem haec sunt : ea desolatio, quae a daemone immittitur, solet obscurare judicium, et, nisi vehementer obsistamus, practica virtutis principia pervertit, juxta illud : *Vae qui dicitis malum bonum et bonum malum* (1). Indurat voluntatem per teporem, ut videatur impossibile, nedum difficile, operari bonum ; inde impatientia, diffidentia, quae aliquando ad desperationem inducit ; in constantia cum perturbatione ; et haec proprie dicitur tentatio seu vexatio. Alia autem, quae est a bono spiritu per subtractionem, in primis lumen rationis non imminuit neque perturbat ; ex quo facile patet aditus ad consilia aliorum ac persuasiones ;

1. Isaï. v, 20.

nec tollit efficaciam in actibus virtutis, nisi iis, qui adeo sunt delicati, ut pendeant penitus a gustu, et illo sublato pueriliter cadant ; sed solum eas vires operandi minuit, quas dabat ille fervor ; quae, ut diximus, non sunt tanti momenti, nec est grave detrimentum illis privari. Hinc sequitur, *ex se* non perturbare mentem, nec veram ejus quietem minuere, sed solum *ex ignorantia* in iis, qui, cum careant experientia, si deserantur a consolationibus ac fervoribus, perturbantur, quasi sint in malo statu : quod si instruantur in vera disciplina, nil tale jam patientur. Differunt etiam, quia desolatio boni spiritus semper desinit in aliquam consolationem ac quietem, ut est etiam dictum supra : non sic autem alia ; et ex hoc sequitur, secundam et tertiam desolationem esse semper a malo spiritu, sicuti e contra consolationes illis oppositae sunt semper a bono ; et haec de discretione horum motuum.

§ IV. — *Praecepta servanda in singulis.*

SUPEREST ut demus praecepta, quae in his servanda sunt, et ex regulis S. P. Ignatii eruamus ea sicut et reliqua omnia quae dicta sunt.

Primo, igitur circa consolationes bonorum indifferentium, servandum est Christi consilium : *In hoc nolite gaudere, quia daemonia subjiciuntur vobis :* ut eas scilicet non curemus, immo rejiciamus, et totam animi laetitiam convertamus in bona spiritualia, qualia ibi Christus subjungit : *Quod nomina vestra scripta sunt in coelis* (1) : nec de his, tamquam per se notis, loquitur S. P. Ignatius.

Secundo. In consolationibus primi generis, scilicet in gustibus spiritualibus ac fervoribus, facile possumus, utendo arte daemonis, pro nostra eruditione ex con-

1. Luc. x, 20.

trariis documenta optima colligere. Sanctus autem Pater Ignatius, decima et undecima regula, duo tantum tradit, in quibus continentur cetera omnia quae dari possunt ; sunt autem haec : primum, ut *se praeparet* ad futuram desolationem ; alterum, ut *se humiliet* in ipsa consolatione.

Primo. Quoad primum supponit, ut advertat quilibet ac consideret, magnum esse discrimen inter dona gratiae ac virtutum, et hos fervores : nam licet neutrum horum sit in nostra potestate, cum a solo Deo pendeant ; certi tamen sumus, si cooperemur, gratiam ac virtutes semper dari et semper in nobis crescere, certasque esse regulas in illis : at consolationum, quando, aut quantum, aut qua mensura dandae sint, nulla est regula, estque occultum omnino et incertum, ac saepe, postquam concessit, Deus illas omnino subtrahit, quod nunquam fit quoad gratiam, nisi culpa nostra. Cum igitur habemus consolationes, merito jubet S. P. Ignatius nos cogitare de desolationibus, et ad illas animum praeparare.

Secundo. Non ait S. P. Ignatius, cum veniunt consolationes, esse eas a nobis rejiciendas ; immo e contra supponit esse retinendas et admittendas, cum a Deo mittantur, ac multa bona possint efficere, talique subsidio egeamus, tanquam impotentes et debiles : sed hoc supposito, admonet ut praeparemus nos ad desolationes, id est dum durant, eis tanquam Dei donis utamur, cogitantes non duraturas, sed desolationes esse secuturas.

Tertio. Sequitur praeterea, quod, licet consolationes sint a Deo, non tamen sunt dona illa, quae proprie justificant, ac per se ; sed esse formaliter bona indifferentia, sicut et desolationes, quibus possumus bene et male uti. Debemus igitur esse indifferentes ad

utrasque pro divini beneplaciti mensura ; et cum sumus in fervore spiritus, expectare desolationem, et animam ad illam praeparare.

QUARTO. Eodem documento occurritur amori proprio, ex quo in consolatione excessus nonnulli admitti solent. Etenim, si praeparandus est animus ad desolationes, non sunt igitur magni faciendae consolationes ; ergo non debemus in illis sistere neque illis nimium inniti, cum brevi sint discessurae; immo, usu modesto eas admittendo, simul praevidere desolationes jamjam imminentes ; nec debemus eas nimium viribus naturae dilatare, multo minus jactare, aut in illis gloriari, cum instar venti recedant ac redeant; nec existimare, quod ab illis pendeat perfectio ac vera animi laetitia et quies, quae debent esse solidae ac perpetuae ; consolationes autem recedunt, animusque ad contrarium est praeparandus. Modestus sit igitur usus, moderata laetitia in illis, non effusa.

QUINTO. Indicat S. P. Ignatius tirones esse instruendos ut paulatim assuescant pendere a Deo. Cum enim adventus, recessus et mensura consolationum vere a solo Deo pendeant, debet et voluntas nostra penitus subjici Deo, et aequo animo expectare, in consolatione desolationem, et in desolatione consolationem. Ad hanc autem dependentiam consequendam juvat plurimum ut se praeparet ad desolationes.

SEXTO. Sequitur ex eodem principio et aliud documentum admodum utile : nam ordinarie, cum homo fruitur illis fervoribus, valde *sibi placet*, et quidquid agit illo tempore, videtur illi bonum ac sanctum ; contra vero cum est desolatus, *displicet sibi*, et videntur illi omnia esse imperfecta, quae tunc operatur, soletque simile ferre judicium de se ipso coram Deo, quod si in statu consolationum valde placet Deo, in desolationibus

minime. Sed hoc non est verum, valdeque illi est cavendum, ne judicet de se ipso per hos motus. Cum igitur dicit S. P. Ignatius, ut se praeparet ad desolationem, indicat aperte, ne metiatur ex his quae sentit, id quod Deus ipse sentit : *Non enim*, inquit Apostolus, *qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat* (1). Signum autem hujus rei evidens, (posse scilicet quempiam aeque placere Deo in desolatione ac in consolatione, immo posse fieri, ut desolatus plus Deo placeat), illud est, quod laudabile esse affirmat et propterea praescribit, ut in consolatione praeparemus nos ad desolationem. Quasi diceret utrumque statum esse Deo gratum, dummodo virtuti solidae acquirendae totis viribus incumbamus.

Septimo. Inde sequitur praeterea, in consolationibus non debere esse studium nostrum praecipuum, ut illas nempe conservemus vel augeamus, vel nimis instanter a Domino petamus ; sed satis esse illis uti cum moderatione jam dicta ; tum etiam, studium praecipuum illud esse debere, ut per illas animemur et roboremur ad desolationes venturas, sicut in itinere cibus sumitur cum gustu, ut acquirantur vires ad labores itineris mox secuturos : ob id enim potissimum consolationes a Deo dantur ; et hic debet esse usus ac fructus earum, ut fortes in tribulationibus efficiamur.

Octavo, et ultimo. Sicut in motibus sensuum, qui omnes resolvuntur in delectationem vel tristitiam, non debet homo duci ab illis, nec agere quidquid illi dictant, ut faciunt pecudes ; sic etiam, licet consolationes spirituales non sint in sensu, sed in affectu proprie, cum tamen sint motus quidam et passiones, non debet homo duci solo illarum instinctu; sic enim evaderet non homo, sed veluti jumentum spirituale : sed per rectam ratio-

1. II Cor. x, 18.

nem divina illustratam gratia dijudicare et moderari eas, ac dominari illis; et quod simpliciter rectum est sequi, maturo cum consilio, discursu, deliberatione ac perfectione debita; cui si consolatio sit conformis, tunc eam sequi debet, sin minus suspendere assensum, ne se praecipitet; immo expedit agere ac deliberare aliquando contra illam; fervor enim ille consolationis solet impellere ad proposita rerum maximarum, ut ad mutationem status, votorum ligamen, ad martyria, aliaque id genus, sed majora quam valemus, vel praeter nostrum institutum et majorum traditiones, cum vitio occulto proprii judicii ac superbiae: quae omnia tunc videntur facillima et optima, tempore desolationis autem, difficillima; quod si innitamur tantum viribus consolationis, illa recedente, misere cadimus, instabiles evadimus, et ruinae maximae succedunt. Sin autem secundum rectam rationem omnia perpendamus, desolatio minime nocebit, quia vires divinae gratiae semper manent cum recta ratione ad omne bonum concurrentes: et hoc praeceptum S. P. Ignatius jam expresse docuerat in annotatione decima quarta, ut diximus, at continetur his etiam regulis. Cum enim ait debere eum, qui consolatione fruitur, praeparare se ad desolationem, insinuat, cum de re aliqua deliberamus, non esse innitendum consolationibus ipsis, quae labuntur; sed, de recessu earum cogitando, utendum esse recta ratione, ut secundum eam constanter, etiam tempore desolationis, operemur. Denique colligitur ex eodem documento, ipsam consolationem esse praeparationem ad desolationem, et e contra, quanto quis minus insistet adhaerebitque consolationibus, et erit magis indifferens animo, eo minus etiam illum desolationibus laesum iri.

Secundum documentum de *humilitate* servanda in consolationibus, non minus foecundum est quam primum.

PRIMO namque vult significare consolationes mere esse dona a Deo sine ullo nostro merito, et cum in illis nihil sit nostrum et a nobis, nihil esse etiam quod gloriemur : *Quid autem habes*, inquit Apostolus, *quod non accepisti ? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis* (1) ? sed debere nos humiliari, recognoscendo auctorem earum, easque illi tribuendo, ac nos illis indignos existimando.

SECUNDO. Significat praeterea consolationes sicut a Deo sunt, ita dari propter Deum et non propter nos: ut scilicet per illas Deus honoretur ; cum autem reverentia aut honor exhibetur alteri, hoc fit per actum humiliationis nostrae. Debemus igitur humiliari referendo omnem consolationem in Deum, et eum in illa glorificando.

TERTIO. Sequitur jactantiam omnem ac manifestationem harum consolationum plurimum esse fugiendam ; nam qui humilis est occultat bona, et ostendit mala sua, ut vilis appareat; delectationem etiam nimiam esse humilitate temperandam, gustando ipsius Dei delectationem in gaudio nostro, et a nobis ipsis veluti divertendo, ut sic in Domino gaudeamus et gloriemur.

QUARTO. Indicat etiam usum consolationum directum ac proprium esse, ut per eas progressum faciamus tamquam per stimulum atque calcaria, in solidis virtutibus, quarum fundamentum est humilitas; ideo humiliemur primo, tum proficiamus, pro varietate rerum et occasionum, in variis virtutibus, actus earum efficaces elicientes, vel proponentes.

QUINTO. Cum in consolationibus sint tot pericula vanitatis, et tot fomenta amoris proprii, a quo cuncta oriuntur vitia, et sint velut lac puerorum, haec omnia

1. I Cor. iv, 7.

sunt perpendenda ; ideoque in illis timendum est cum humilitate, ut vitemus illusionum ac vitiorum omnia pericula, et bene utamur hoc lacte. Atque haec est praxis consolationum. Erit autem prudentis bonique praeceptoris spiritualis munus, pro qualitate personarum uti his omnibus documentis.

Circa *desolationes* major est difficultas : ob id fusius S. P. Ignatius de hac re praecepta tradit, a quinta scilicet regula usque ad nonam, et ex parte etiam in decima.

In primis autem, licet non aperte distinguat S. Pater inter desolationem *divinam* et aliam a *daemone* immissam, ut saepe solet in aliis multis, implicite tamen id facit, cum in quinta regula docet hominem agi a malo spiritu ac instigari ; loquitur igitur tunc de mala desolatione : in septima autem regula vocat *subtractionem fervoris* a Domino factam : haec autem est bona ; et in nona, secundam ac tertiam causam desolationum Deo tribuit. Idem supponit etiam in secundo tempore electionis, ubi ait divinum beneplacitum posse cognosci, docente hoc aliquo spiritu consolationum vel desolationum. Id tandem ex praeceptis clare elicitur, nam varia requiruntur, et aliquando contraria, ut statim dicemus.

Quod si dicat quis desolationem unius tantum esse speciei, sed in ea immisceri daemonem et etiam concurrere Dominum : respondemus illud idem, quod in materia tentationum in nostra *Disciplina* tradidimus, quod in quacumque desolatione, uterque spiritus, bonus scilicet et malus, partem habet, et unus bonum praetendit, alter malum : ac verissimum etiam est esse duas species, quae distinguantur ex signis suis et ex praxi exquisita eorum qui haec observant. Nam sicut tentatio Abrahae sacrificandi filium, etsi in ea etiam malus spiritus aliquid mali

praetenderet, ne scilicet, ductus instinctu amoris filialis, obediret Deo; tamen certum est fuisse proprie a Deo et illi tribui in Scripturis: tentationem vero Job fuisse a daemone, quamvis et Deus concurreret. Similiter dicendum est desolationes quasdam esse a daemone, quae nimirum ad malum impellunt, in quibus tamen Deus aliquid boni praetendit; alias a Deo, quae in bonum tendunt et terminantur, quamvis illis etiam se daemon immisceat. Ideo praecepta propria in singulis requiruntur.

PRIMO autem omnium illis, qui vere dederunt causam desolationi, ob acediam in rebus spiritualibus, discussio illa sui per examen, de qua loquitur in sexta regula S. Ignatius, est optimum remedium. Cum enim, ut habetur in septima regula, una ex causis desolationum soleat esse nostra negligentia, sublata autem causa, cesset effectus: per examen conscientiae discutiendo se, cognoscet lumine interno hunc defectum et emendabit. Cavendum est autem ne permittat director animarum, ut ubi non est culpa, discruciet se animus hujusmodi discussionibus, afflictioni, loco remedii, addendo afflictionem.

SECUNDO. In illis autem desolationibus, quae nullam habent causam culpae, et a *malo spiritu* immittuntur; *primo*, cum impellant ad vitia, sintque tentationes, est illis resistendum, et sunt expugnandae eo modo, quo in materia tentationum docetur. At, cum hic proprie non agatur de his, quatenus sunt tentationes ad malum, sed quatenus animam affligunt, et propterea multa bona impediunt: *secundo*, cavendum est, ut optime docet S. P. Ignatius, ne tunc immutemus bona proposita, nec deliberemus quidquam circa nos ipsos, dum durat afflictio, ne efficiamur instabiles.

Suspendendus est igitur omnis assensus, et differendus in tempus tranquillum.

TERTIO. Ut animus aptus reddatur ad fortiora remedia adhibenda, quae habentur in sexta et octava regula, oportet eum praemunire his considerationibus :

1° Ut intelligat, quod ipse patitur, esse commune et ordinarium omnibus ; ne soli sibi dum putat id contingere, animo cadat.

2° Dummodo malo non consentiat, suspendatque deliberationem, non esse statum desolationis tam perniciosum et abominabilem : nam, sublato ejus veneno, permittit Deus eam a daemone inferri, ut inde multa bona eliciamus. Afflictio enim facit hominem vilem sibi et humiliatum coram Deo ; quo fit ut Deus misereatur et compatiatur ei sicut pater filio, quod aptum est remedium ad mitigandam animi tristitiam ; facit etiam modestum, timidum, circumspectum et ab omni vanitate proprii sensus et superbia alienum ; disponitque ut fiat Deo gratior, et libentius admittatur ad divinum conspectum ac colloquium, quam in consolatione.

Praeterea haec afflictio impellit *primo* ad orandum Deum, quod est optimum remedium, a quo scilicet omnia bona proveniunt. Exemplum potest esse in humanis : nam, quo quis est pauperior et vilioribus pannis indutus, eo est aptior ad petendam eleemosynam a Principe; similiter et desolatus et pauper spiritu facilius movebit Deum ad misericordiam, et aptior erit ut petat et impetret ab eo multa. *Secundo*, ad fiduciam etiam ac spem inducit, qua plurimum sublevatur animus afflicti, cui addi debet a directore, et subministrari spes futurae consolationis multorumque bonorum, ut habetur in regula octava. *Tertio*, sequitur etiam cum his subsidiis patientia, quae sine illis dura

foret ; at oranti ac speranti in Deum fit longe facilior et, ut habet S. P. Ignatius, regula octava, e diametro opponitur desolationi, estque ejus unicum antidotum ; qua in re potest adhiberi exemplum Christi et Sanctorum, et quam illustre sit et altum illos imitari; quanta etiam sint bona coelestia, quae huic patientiae praeparantur.

QUARTO. Cum expedit, etiam non erit difficile adhibere aliquam poenitentiam, quae solet plurimum prodesse ad sui victoriam in passionibus ac commotionibus variis, cum saepe causetur desolatio, quia nondum plene edomuimus carnem nostram. Aliis autem, qui jam domuerunt vitia, vel nimium sunt ad poenitentias externas vel ad scrupulos inclinati, non expedit, immo obesse potest : quod judicio directoris spiritualis est committendum.

QUINTO. Ex his autem omnibus nascitur animi generositas, de qua regula undecima ; quae procuranda est, sicuti diximus in materia tentationum, scientes daemonem nihil posse, minimo gradu gratiae vinci, et Deum nobis adesse infinitis modis, nec passurum ut supra vires contristemur.

His autem omnibus remediis suppositis et adhibitis, sequitur id, in quo reperitur major difficultas, et quod summopere est procurandum, ut scilicet is qui in hoc statu desolationis versatur, *non desinat* in suis quotidianis actionibus operari eadem bona, quae prius, et sancte in iisdem occupari. Nam hoc saltem daemon praetendit, ut, cum non potest impellere in malum, nec dimovere a promissis sanctisque propositis, a bono divertat. Potissimum vero in actibus internis orationis et virtutum exerceri arduum est, nam et tristis animus vix potest applicari ad illos, et praeterea, si id faciat, videntur illi actus tam debiles et im-

perfecti, ut plane nihil valeant coram Deo; multique idcirco cessant ab oratione.

Imprimis autem hic maxime curandum est, ut tirones instruantur plene, et in praxi deinde paulatim assuescant huic disciplinae, nempe quod *duplex* est efficacia orationis et aliarum bonarum actionum: *altera*, quae provenit a consolatione, et ipsa sublata, recedit; et haec non tam a conceptu nostro pendet, quam a Deo, cum sit dulcedo quaedam et gustus divinorum; *altera* est proprii conatus, industriae ac violentiae humanae, qua cum ipso auxilio gratiae cooperantes, totis viribus nitimur elicere actus internos; et haec, etiam sublata consolatione, remanet; ut patet exemplo in operibus corporis, quorum efficacia in nonnullis pendet a gustu naturali, ut est comestio cibi; in aliis fit conatus sine ulla sensus oblectatione, immo cum labore, ut cursus, opus manuum in artibus, actiones circa metalla, lapides et alia multa. Hoc autem in spiritualibus magis locum habet, cum non solum liberae sint actiones, sicut corporales quae imperantur a voluntate, sed immediate ab ipsa voluntate eliciantur, immo nihil aliud sint, quam electiones voluntatis. Certum est autem, quod etiam desolatus quicumque, ac vel maxime tristis, potest efficaciter aliquid velle; ridiculum enim esset arbitrari solum in consolationibus habere nos potestatem nostrae voluntatis.

Addendum est autem huic doctrinae aliud *principium*, quod habet S. P. Ignatius, regula septima, nempe: divinae gratiae ad omnium virtutum opera praesidium jugiter nobis adesse, et efficaciam dare ad operandum etiam desolatis. His positis, patet desolatum teneri ad efficaciam bonorum operum *secundam*, licet *prima* non adsit, et tunc esse tempus proprii conatus exercendi viriliter: quod si nolit id praestare, est similis puerulis,

qui sine gustu nihil volunt operari; et si persistat in hac acedia, plane non est aptus regno Dei: si autem viriliter conetur, vel sentiet illam efficaciam quam diximus, juvabitque plurimum ad pergendum in incoepto virtutis cursu; vel si non sentiat, mirum id esse non debet, quia sublata consolatione, cum sit puerulus ac novus in spiritualibus, non potest, tam brevi temporis spatio, sentire virilitatem in opere. Sed sicuti qui addiscit artem musicae, in initio facit actus debiles, quorum frequenti iteratione tandem acquirit habitum, facilitatem et efficaciam; sic etiam accidit novitiis in actibus virtutum: unde, quo debiliores sunt actus, eo magis expedit, ne eos deserant, sed frequentent, ut cum auxilio divino assuescant, quousque habitus fortes et efficaces virtutum acquirant.

Ut autem juventur ad hoc, docendi sunt, hujusmodi opera, quamvis videantur illis *exilia*, esse tamen valde *grata Deo*, et aliquando *gratiora* quam illa, quae tempore consolationis perficiuntur. Nam, ut exemplum demus in artibus humanis, qui alium formare caracteres docet, primo quidem solet, apprehensa manu discipuli, illam deducere et movere, sicque caracteres formare; postea sinit ad exemplar praecedentium, ut ex se propria manu tantumdem agat: quamvis autem primi caracteres sint meliores secundis, et in secundis sentiat in manu et scriptione debilitatem, cum sit auxilio destitutus praecedenti; quis tamen non videt praeceptori magis placere secundos quam primos, quatenus primos non tam facit discipulus quam praeceptor, secundi vero sunt ex conatu illius: nam si semper praeceptor manum alterius sua duceret, discipulus nunquam addisceret artem; ideo sinit eum ex se moveri, ut paulatim proficiat, et artem addiscat. Similiter et opera, quae fiunt ex fervore consolationum, sunt quasi a Deo per illam delectationem a qua tra-

himur facile ad bona, at in desolationibus relinquimur nostris viribus, non sine gratia, ut opere ac labore nostro vim nobis inferentes, in virtute progrediamur ; quod insinuatur septima regula. Hoc autem est omnibus commune, et ipsi etiam sancti viri initio haec sunt passi ; estque ordinarium et necessarium in via Domini. Ideoque persuadendum est tironi, ut animose pergat in bono, nec coeptum opus deserat.

Patet autem hanc esse doctrinam S. P. Ignatii : nam, cum velit ut miles Christi nihil immutet eorum, quae antea proposuerat, et ut patientia in omnibus utatur, clare sequitur, quod velit etiam, ne actiones sanctas pristinas quotidianas praetermittat : et si in oratione et actibus internis id fecerit, praestabit etiam facilius in omnibus externis ministeriis sui muneris ; in quo est admonendus, ne per signa externa prae se ferat turbationem, in verbis scilicet ac corporis gestibus, mature et modeste in omnibus se gerendo.

In desolationibus autem, quae *a Deo* solum per subtractionem immittuntur, quarum signa jam dedimus, nec tanto est opus labore, et faciliora sunt remedia, cum non impellant ad malum, nec efficaciam minuant boni operis, sed tantum privent gustu sensibili. Intelligat igitur esse dona Dei, provenire ex divina providentia immediate, esse signa maximi sui amoris, Deum velle nos probare ac humiliare et quasi ablactare, ut viriliter operemur bonum propter se ipsum ac propter Dei bonitatem, non propter gustum ullum. Et haec insinuat S. P. Ignatius regula septima et nona in secunda ac tertia causa. Hinc autem sequitur studium ac conatum non esse in eo collocandum, ut repellatur haec desolatio et illi obsistatur, quemadmodum de prima praescripsimus, per examen scilicet, aliaque remedia : nam, cum origo ejus non sit a daemone, sed a Domino, non est abhorrenda sicut prima, immo admit-

tenda potius, expeditque humiliari sub potenti manu Dei, resignare se in ejus manibus, et conformari penitus ejus divinae voluntati.

Immo nec est prohibendum, ne aliquid in tali statu animus deliberet. Nam, cum recta ratio non sit obscurata, prout in prima fieri solet, nec agatur a malo spiritu, sed a bono, potest optime regulis electionis ac deliberationis uti, etiam cum est desolatus ; quod et S. P. Ignatius aperte indicat in secundo tempore electionis et inde, praeter ea quae diximus, probari potest, quod cum non desint homines, quos Deus quasi perpetuo detinet in hujusmodi statu desolationum, his nullus esset unquam locus deliberandi, si valeret haec regula, quod est absurdum. Nihil ergo boni, quod sit rationi conforme, in tali statu est praetermittendum ; maxime vero omnium, procurare debet, ut in virtute solida, et vera animi quiete corroboretur. Et haec de discretione spirituum primae hebdomadae dicta sint.

Caput IV. — De pleniori discretione per regulas secundae hebdomadae.

SEQUUNTUR regulae secundae hebdomadae, quas S. P. Ignatius quanti faciat, et quantum praeferat regulis primae hebdomadae, aperte inde colligitur, *primo*, ubi praescribit, ut iis, qui crassis tentationibus vexantur, non dentur regulae secundae hebdomadae, sed iis utendum solis quae in prima dantur. *Quia*, inquit, *quantum ex his accepturus est commodi, tantumdem ex illis dispendii referret ob subtilitatem rei et sublimitatem, quae est supra ejus captum* (1). *Secundo*, cum explicat ad quos proprie spectent, ad illos scilicet,

1. Annot. 9.

qui ita in bono profecerunt, et in via Domini sunt animati, ut a malo spiritu et a tentationibus ejus penitus abhorreant, easque repellant : proptereaque ab hujusmodi tentationibus daemon tunc cessat, quod illis expugnandis videt esse assuetos, seque nihil posse mali machinari ; ideoque, his omissis, sub specie boni tentat, ut eos fallat (1). Nam, cum bonus spiritus bona suggerat semper, mala autem et praevideant hi et aversentur, cogitur spiritus malus, ut fallat, effingere etiam ipse ac prae se ferre spiritum bonum, quo tandem ad malum dolo ac fraude perducat. Hae igitur regulae ad bonos tantum pertinent, ut discernant fraudes mali spiritus, et apparentes has motiones ab aliis vere bonis et sanctis, quae a bono spiritu immittuntur ; quod est longe subtilius, altius ac difficilius discretione superius jam a nobis explicata, quae ad primam hebdomadam refertur.

Ut autem plenius haec omnia declarentur, primo omnium proponamus, quidquid in his regulis S. P. Ignatius tradit, ut ea capita deinde, quae videbuntur egere diligenti examine, suo ordine declaremus.

§ I. — *Duplex spiritualis consolationis genus.*

PRIMO. Igitur *duo genera* spiritualis consolationis distinguit S. Pater. *Primum* est, cum nulla praecedit hujus consolationis causa in anima, quum nec sensibus, nec intellectui, neque voluntati nostrae quidquam objectum est, quod ejusmodi consolationem causare ex se possit : et hanc esse solius Dei affirmat, nec posse in ea locum habere daemonem cum suis fraudibus. Dat autem causam : quia nimirum proprium est Creatoris suam ingredi creaturam, et illam in amorem sui totam convertere, trahere ac mutare (2). *Secundum* ge-

1. Annot. 10. — 2. Regula 3.

nus est illius, cujus aliqua causa in nobis praecedit ; et hujus causam seu auctorem esse posse, tum malum spiritum tum bonum, contrario tamen fine, manifestum est.

SECUNDO. Quoad nos, ait (1), quamvis initio certum sit illam esse a solo Deo, post illud tamen, in progressu, cum dilatatur in nobis, non esse hoc certum, sed fieri posse, ut malus spiritus sese illi immisceat.

TERTIO. Consolationem spiritualem, a malo spiritu immissam, non esse veram nec solidam, sed sophisticam et fallacem ; et eo tandem tendere, ut eam, quae boni spiritus est, quaeque sola est vera, oppugnet, et inducat tristitiam ac perturbationem animi: sicuti e contra, vera consolatio tendit ad falsae oppugnationem, et ut tristitiam ac animi inquietudinem tollat (2).

QUARTO. Morem esse mali spiritus, cum se in Angelum lucis transfigurat, initio bonas hominis cogitationes sequi, iis obsecundare easque fovere ; tum vero occulte et paulatim ad prava sua desideria trahere (3).

QUINTO. Daemonem hoc facere, trahendo ad id tandem quod aperte malum est ; quod si non potest, saltem avocat a bono ; vel impellit ad minus bonum, relicto majori ; vel defatigat, angit, perturbat, sublata, quae prius aderat, quiete, pace et tranquillitate.

SEXTO. Ut discernantur motiones spiritus mali sub specie boni, excutiendae sunt cogitationes nostrae circa principium, medium et finem suum ; quae tria, si recte se habeant, et ipsae motiones bonae erunt existimandae ; sin autem deprehendamus in illis aliquid ex malis jam commemoratis, erunt a malo spiritu (4) ; regula autem haec servanda est in illis consolationibus, quarum causa aliqua praecedit in nobis,

1. Regula 8. — 2. Reg. 1. — 3. Reg. 4. — 4. Reg. 5.

tum etiam in repentinis, quoad earum progressum ac finem, quae possunt a malo spiritu provenire.

Septimo. Post haec, ad discretionem utriusque spiritus, si contingat nos deprehendisse fallaciam aliquam daemonis in fine, plurimum juvat reflectere supra totum progressum jam transactum, a principio usque ad finem, et diligenter observare duo : alterum, quid mali praetenderit daemon in eo ; alterum, quomodo sensim fefellerit nos aut alios, quo artificio, qua specie, et quomodo ab illa boni apparentia declinare nos fecerit ad malum gradatim usque ad finem ; nam tali experimento practice discimus, qua ratione cavendae sint daemonis fraudes.

Haec S. P. Ignatius in octo regulis secundae hebdomadae ; quod si alia praeterea dicat (ut patet in regula septima), ea nos jam in prima hebdomada explicavimus.

Ut autem haec omnia intelligantur clarius, expedit, ut sequentia capita pertractemus :

1° Quomodo possit daemon motiones internas spirituales ac sanctas, quae boni spiritus propriae esse videntur, effingere.

2° Quomodo ex illis malum deducat, cum ex bono non possit sequi malum, sicut nec ex vero falsum.

3° Ad quem finem malum in progressu solcat deducere.

4° De illusionibus variis, ac earum speciebus ; quomodo possint discerni in initio, tum in toto progressu, motiones boni spiritus a malis ; et quae sint remedia singularum propria.

§ II.— *Daemon in angelum lucis transfiguratur.*

De primo non est quod curiose, ut faciunt Theologi, hic multa dicamus, sed brevissime, quantum ad praxim nostram conferre possit. Cum itaque mo-

tiones internae, et intellectum comprehendant et affectum, dicimus: posse daemonem, quoad intellectum, uti apparitionibus externis vel veris, id est sub vero aliquo corpore assumpto confictis, vel praestigiosis et vanis, licet verae appareant ; posse similiter imaginationem internam afficere omni genere phantasmatum, et per hanc intellectum in multis fallere ; posse nostra ipsa phantasmata multis modis commovere ac immutare, et, per corporeas alterationes humorum, varie idem efficere, quod in nobis saepe faciunt humorum naturales excessus.

Potest insuper persuadere ac repraesentare operationem naturalem tanquam supernaturalem, cum scilicet dilatamus rerum divinarum quasdam primas apprehensiones ac lumina, proprio ingenio deducentes multa, et existimamus, suggerente daemone, habere nos revelationes, cum ex melancholia, aut phantasiae alia naturali permutatione, apparent nobis somnia aut similia, et videntur alta, quamvis sint naturalia.

Quod autem spectat ad objecta ac res ipsas supernaturales, habet daemon quam plurima ex divinis Scripturis, et aliis mediis ; quoad futura vero, potest multis modis effingere spiritum propheticum, ut omnes Theologi docent.

Affectum autem sensitivum potest similiter per corpus, id est humorum alterationem, et per phantasmata commovere ad omnes actus sive passiones, et hinc voluntatem afficere ; vel persuadere, quod in hac parte est naturale, esse donum naturam excedens ; ut cum quis, ob sanguineam complexionem, facilis est ad lacrimas et ad excessum affectus, et putat se pati divina.

Potest consolationes spirituales efficere, quatenus delectatio est passio, non opus, et ex amore proprio, non divino, oritur, per repraesentationem seu conjunctionem cum objecto ad id accommodato.

Potest etiam juvare per has consolationes ad actus aliquos virtutis apparentes seu leves, ut fallat. Et in his omnibus potest esse tantus excessus, ut alienet hominem a sensibus externis per raptus et extases, sive ea procedant a naturali principio, ut diximus, sive a daemone impediente sensuum operationes, vel accedente affectu aliquo ac passione amoris aut simili tam vehementi, ut extasim efficiat. Ut autem omnia vel aliqua ex dictis sequantur in operatione, praeter daemonis potestatem concurrunt duo alia : hominis scilicet ipsius consensus, cooperatio, vel saltem occasio ac dispositio ; et divina permissio, sine qua diabolus nihil potest ; et haec de primo capite.

§ III. — *Modus quo daemon ad malum deducit.*

AD intelligentiam hujus quaestionis notandum est, quod, cum anima in via spirituali Domini coepit tam efficaciter progredi, ut malum quodcumque apertum et tentationem ad illud abhorreat atque efficaciter vincat, daemon cessat, ut diximus, ab hujusmodi vexationibus, in quibus videt se nihil proficere, neque tamen cessat ab odio, immo crescit in eo desiderium perditionis illius animae, incipitque machinari modum alium, proponendo bonum sub specie aliqua simili bono spirituali, ut per hanc viam pertrahat tandem ad malum ; quod saepe dolose ac subtiliter adeo tentat ut reapse fallat, et multos in graves ruinas dejiciat. Spiritus igitur uterque, tam bonus quam malus, bona suggerit in initio ; postea vero, malus spiritus paulatim conatur ad malum divertere, quousque in fine aperte trahat : bonus autem spiritus semper in bono progreditur usque ad optimum finem. In discussione hujus duplicis viae, mali ac boni spiritus, consistit tota disciplina hujus secundae hebdomadae.

Progressus autem daemonis ab initio bono usque ad

finem malum totus est falsus et sophisticus. Nam, sicuti ex vero non potest per bonam consequentiam, secundum lumen naturale rectum nostri discursus, deduci falsum; similiter, nec ex bono potest sequi malum. Cum igitur ex vero falsum deducitur, sophisma committitur; cum ex bono malum, appellatur illusio; et quemadmodum in elenchis sunt sophismata tam verisimilia, ut difficile solvi queant, contingitque viros etiam sapientes errare; sic etiam in illusionibus spiritualibus usu evenire conspicimus. Ratio tota pendet ex daemonis maxima sagacitate et astutia, studioque continuo ac vehementi; tum ex animi humani ignorantia ac simplicitate, qua sumus erroribus obnoxii; vel ex superbia aliisque vitiis gravioribus; tum denique ex rerum ipsarum similitudine apparenti, quae in errorem inducit. Et quoniam, quod est aperte malum, nullam vel modicam habet similitudinem cum bono: ideo non statim ex bono principio daemon deducit malum illud, quod praetendit; sed inter utrumque inserit media quaedam, quae sub specie boni declinant tam suaviter et occulte ad malum, ut videantur ex primo illo bono deduci. Quo progressu ac deductione fallit, ut optime S. P. Ignatius in regulis observavit, et saepe, vi hujus fallacis progressus, tam vehementer animae imprimit quod vult, ut quae alias turpia et aperte mala visa fuissent, sancta, nedum licita, misere aliqui esse existiment; vixque post factum ipsum pravitatem discernant. A bono igitur illo, quod initio videtur perfecte ac plene bonum, deducit aliud bonum, sed minus quam primum; incipitque occulte inficere bonum mixtione aliqua, quamvis modica, minus boni seu mali: tum pergit miscendo bonum verisimile, sed minus quam praecedens, cum majori malo, quousque ad manifeste malum deducat; ut ex. gr., ex motione amoris divini et serviendi Deo,

inducet mulierem ad quaerendum aliquem, qui sit illi dux et magister in vita spirituali, curabitque ut accendatur affectus erga eum spiritualis et sanctus, sub illa specie divini magisterii et progressus in rebus spiritualibus ; sequitur hinc frequens collocutio inter eos ; tum affectus quidam humanus honestus, non tamen pure spiritualis sicut antea, et sermones de rebus humanis ; tum amor honestus sensim convertitur in alium tenerum et vehementem, qui paulatim inclinat in levitates, otium ac vana et otiosa colloquia ; prorumpit hinc lascivia in actus ex se non aperte malos, sed qui vim habeant excitandi concupiscentiam ; tum in impudicos sed leves, a quibus fit progressus usque ad consummationem peccati. Et hoc modo in aliis plurimis peccatis solet suas fallacias eodem progressu intendere.

Sequitur hinc aptos esse maxime omnium, et obnoxios his fallaciis animos simplices, qui prudentiae ac luminis perspicacis, vel doctrinae acquisitae vel naturalis sunt inopes, et facile persuaderi ac trahi possunt suavi specie rerum : tenaciter autem his erroribus aptos esse adhaerere eos, qui proprii sunt judicii amantes et sibi ipsis valde placent.

Sequitur etiam, S. P. Ignatium sapienter distinxisse (1) totum progressum in tria capita: initium scilicet, medium ac finem ; et ex reflexione in ea docuisse remedium optimum omnium, quo detegentes in hac deductione, quomodo daemon declinet paulatim ad malum, a radice fallaciae morbum extirpemus. Atque haec est vere altissima sapientia, sed valde difficilis; cum pauci ex his, qui falluntur, persuaderi possint se errare, paucique in remedium erroris ea methodo utantur ; quod si conentur experiri, nullum errorem deprehendunt, et misere sub specie boni, proprium malum tuentes, favent et adhac-

1. Reg. 5 et 6.

rent ipsi daemoni. Ideo, necessarium est per signa prius et effectus procurare, ut detegant malum, et illuminentur; tum ut in hoc utantur remedio jam dicto. Danda etiam sunt remedia practica et efficacia, quibus possint, detecto morbo, curari, cum non satis sit morbum et ejus causas detexisse, nisi adhibeantur remedia, ut curetur; praeterea vero non raro accidit daemonem, ipsis etiam invitis, post lapsum graves inferre molestias.

§ IV. — *Progressus ac finis diabolicae fraudis.*

RADIX omnium malorum, cui daemon innititur, est amor proprius, qui, nisi sit homo valde cautus, erga spiritualia bona vehemens est simul et occultus, sub specie divini amoris latens, a quo daemon omnes animarum ruinas deducit; fallitque eas per progressum quem notavimus, ut perducat tandem ad varia peccata, et primo ad superbiam, quam solet occultare sub specie virtutis variis modis: et in hoc corrumpit et perdit etiam viros graves et bonos; hac enim eadem fallacia ipsemet fuit illusus et decidit a statu gratiae et excellentiae, in quo creatus est. Ideo rerum maximarum ac virtutum speciem simulat; hinc enim patet illi campus ad infinitas fere fallacias ac vitia; saepissime etiam ad delectationem inordinatam deducit, primo spiritualem, tum inanem, tum denique turpem, ut diximus. Curat praeterea obstinationem in proprio sensu, potissimum in erroribus qui ad dogmata spectant; ut plurimum vero inducere tentat in desperationem salutis, in qua est ipse immersus, et hoc quando malum est tam apertum atque infame ut dissimulari non possit; deinde sequitur æterna damnatio. Cum autem non valeat malum ullum tam grave inferre, curat procurare maximum quod potest; nec tamen, cum non potest, aliud spernit, seu omittit vel minimum. Ab hujusmodi autem fallaciis levioribus, quae vel inferunt leve damnum, vel

boni aliquid impediunt, vix ullus est penitus immunis; omnes aggreditur; perfectionem verae virtutis infinitis modis impedire conatur, quod apud Cassianum Patres adnotarunt. Qui propterea consulunt, et cum illis S. P. Ignatius, ut diligenter discernamus et probemus spiritus, an a Deo sint; et vigilemus edocti experimentis et praeceptis majorum, ea nobis ipsis accommodantes, et aliis, quorum nobis cura est demandata.

Caput v. — Variae illusionum species ac remedia.

DIFFICILE est et humanis viribus omnino impar, tantas tamque varias ac subtiles daemonis fallacias recensere, multoque difficilius propria singulis remedia adhibere. Satis igitur nobis sit, primo radicem omnium ac fontem attingere, tum ex ea aliquot species earum, quae quotidianis experimentis solent se apertius et clarius prodere, salutique ac perfectioni animarum maxime insidiari.

PRIMO igitur sciendum est gratiam sanctificantem, quam nobis Christus suo sanguine promeruit, sociari et conjungi cum natura corrupta, eique fomitem, passiones, et plurimas ad malum innatas inclinationes non adimere, sed impedire tantum, ne in peccatum grave et mortale prorumpant, nec in venialia, a quibus tamen nec penitus sanctos viros facit immunes; fragilitate enim ejusdem naturae non raro ita praeveniuntur, ut incidant in culpas hujusmodi, leves nimirum ac veniales. Sentiunt etiam in se ipsis motus et impetus plurimos ejusdem vitiatae naturae suarumque potentiarum, qui et gratiae divinae et rectae rationis usum praevenientes, ad mala etiam gravissima ex se impellunt: sed ejusdem gratiae virtute non sine labore et

agone reprimi possunt. Dolet hoc Apostolus vehementer, cum ait : *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae et captivantem me in lege peccati..... Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus* (1) ? His autem motibus pravis naturae et passionum opponitur motus divinae gratiae in animam infusae, quae ad omnia bona malis illis contraria vehementer animam inclinat ; quod et Apostolus paulo ante de se ipso testatus est. Nam cum dixisset : *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem* (2) : *video autem aliam legem* etc.; protinus interrogationi : *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?* respondit : *Gratia Dei per* JESUM-CHRISTUM *Dominum nostrum* (3). Hinc autem sequitur pugna illa et agonia justorum, quam statim Apostolus describit dicens : *Igitur ego ipse mente servio legi Dei, carne autem legi peccati* (4) ; pugnant enim motus naturae et motus gratiae, cum natura et gratia fines habeant contrarios : amorem proprium nempe et charitatem in Deum.

SECUNDO. Quamvis motus hi naturae et gratiae tot sint, ut vix numerari possint, sciendum tamen est posse omnes ad caput unum referri : natura enim omnia ad se trahit, gratia vero in Deum omnia refert ; illa quaerit quae sua sunt, haec quae JESU-CHRISTI. Hinc vero tria alia capita deducuntur, quae omnes hos naturae pravos motus comprehendunt, et totidem quae gratiae.

Natura enim nostra, amore sui inordinato excoecata, quaerit in omnibus : 1° suum commodum in pecuniis, facultatibus, copia amicorum, et aliis ; cupida semper, nunquam satura, recipiens ac retinens quantum potest, parce donans, ad se omnia trahens, lucri et rerum temporalium amantissima, otii similiter et quietis : 2° quaerit suas delectationes in sensibus, in creaturarum

1. Rom. vij, 23, 24. — 2. Ibid. 22. — 3. Ibid. 25. — 4. Ibid.

usu, in carne, in vanitatibus, vagationibus etc.; pulchra et curiosa inquirens, vilia et turpia declinans, impatiens laboris ac doloris, quaerula et iracunda cum non potest malum repellere : 3° super omnia honori est dedita, amat enim existimari ab aliis ; multa vult experiri, alta et secreta scrutari ; honores ac dignitates quaerit, a confusione ac contemptu abhorret ; non vult premi ac superari, nec ulli subjici, nec in ullo mortificari ; omnibus placere studet; omnia denique, quae quoquo modo commodis, delectationi et honori inserviant, amat, desiderat, in illis laetatur, ea sperat, audet et aggreditur: opposita his odio, ira et aliis contrariis affectibus prosequitur ; unde motus illi omnes tot tamque varii oriuntur et propagantur.

Divina autem gratia in omnibus naturam oppugnat propter Deum : 1° enim abdicat se omnibus, amat paupertatem, otium fugit, labores expetit, beatius esse putat dare quam accipere, paucis admodum est contenta : 2° sensuum delectationes vanaque omnia odit, compunctionem et asperitatem sectatur ; est mansueta, et continuo carnis mortificationi incumbit : 3° amat nesciri, vilis haberi cupit, fastum et honorem omnem refugit, omnibus etiam minoribus se subjicit, nemini placere exoptat nisi Deo ; injurias, persecutiones et mala omnia ad Christi imitationem tamquam pretiosos thesauros admittit ; compatitur et benefacit hujusmodi thesauros afferentibus.

Tertio. Advertendum est, quod hoc conflictu gratia procurat plenam carnis subjectionem et victoriam in omnibus, habetque ad hoc praestandum plurima divina praesidia.Duplicem autem exercet pugnam contra hos naturae motus. Prima est aperta, contra vitia gravia, de qua modo hic non loquimur ; sed animam hic supponimus, quae in hac pugna sit adeo exer-

citata, ut magna ex parte, et caro sit illi subjecta, et daemon ab hujusmodi tentationibus jam fere abstineat. Post hanc vero sequitur secunda pugna ; nam natura nostra, cum jam ad bona hujus saeculi non potest aspirare, sibique aditum occlusum ad motus hos pravos in vitiis tam manifestis explendos videt, callide et astute se convertit ad ipsamet objecta et ad motus sanctos gratiae, in quibus occulta quadam insinuatione quaerit motus suos pravos et immiscere et explere : ad hoc autem impellitur et inflammatur a daemone, qui cum invidus sit nostrae perfectionis, nec jam possit aperte impugnando vincere, per insidias carne ipsa nostra ejusque motibus tanquam instrumentis utens, intentat fallacias et stratagemata, primo sub specie boni, tum sensim et latenter declinans, ut ruinam extremam pro viribus inferat.

Nec desunt occasiones. Nam eadem bona, quae sunt virtutum objecta, multa in se continent commoda nostra, delectationes habent corporalibus longe majores, et laudes insignes et primis praestantiores ; quae omnia sunt amoris proprii fomenta, circa quae motus suos pravos, daemonis suggestione, dum natura occulte fovet et nutrit, bonos ipsius gratiae motus his contrarios, retundit simul, et hac mixtione inquinat et contaminat.

Hoc autem rursus fieri potest : 1° ex arte, certa scientia, et consensu rationis et partis superioris ; et haec hypocrisis est, vel tepiditas et aperta malitia, de qua sermo non est ; 2° cum in veram virtutem tendunt, et existimant homines se viam tenere rectam et bonam, at sub specie boni a daemone ac sensualitate callide et astute falluntur, et haec est proprie illusio, qua vera et solida virtus in falsam et inanem dolo ac fraude hac commutatur, cujus hic et signa et remedia quaerimus. Est enim multiplex, varia et difficilis, sophistico illo pro-

gressu procedens, quem jam explicavimus, quo saepe legimus viros celebres et multorum annorum laboribus praeclaros fuisse deceptos, et quotidie conspicimus. Sunt autem admodum pauci, qui tantam gratiae divinae virtutem sint consecuti, ut lumine claro insidias has omnes intelligant, et vi ejusdem gratiae, naturae astutos et perniciosos hos motus repellant.

Duo autem sunt genera potissima, sub quibus species omnes harum illusionum continentur : 1^m affectum seu voluntatem circa actus virtutum comprehendit, cum scilicet pro veris ac solidis falsae et fucatae virtutes a daemone obtruduntur : 2^m spectat ad intellectum, et ad ejus inanes elevationes, in quibus daemon transfiguratur in angelum lucis. Et de his omnibus ac de remediis adhibendis, jam nobis dicendum est.

DE AFFECTUS ET VOLUNTATIS ILLUSIONIBUS.

§ I. — *Sub specie commodi.*

EX his, quae diximus, non erit difficile species aliquot magis conspicuas et ordinarias illusionum harum deducere : nam vel necesse est, ut in illis lateat commodum nostrum et interesse, vel delectatio, vel honor ; haec enim tria sunt fomenta proprii amoris, qui omnia ad se trahit.

Fallaciae, quae sub specie commodi latentes immittuntur, sunt omnibus crassiores et faciliores.

PRIMO enim sub specie tuendae valetudinis, vel virium naturalium debilitatis et similium, et in universum sub specie discretionis servandae, et vitandi excessus, multi procul dubio falluntur, nimium suis commodis indulgentes, ex iis etiam, qui perfectae virtutis disciplinam profitentur, et instituta altiora complexi sunt.

SECUNDO. Alii hoc principio illusi, quod virtus in interiori homine posita est, cui opus externum parum

adjungit, solum internis actibus virtutum et desideriis pascuntur, in quibus nec labor nec violentia magna ponenda est ; externos autem actus, qui et virtutis sunt nervus et consummatio, et difficultatem habent, nec sine sudore et violenta victoria possunt exerceri, fere penitus praetermittunt : sicque virtutis speciem quamdam, non autem essentiam ejus ac soliditatem consequuntur, exteriore homine interim suis commodis vacante.

TERTIO. Alii huic contrario spiritu ducti, contenti externa regularum et legum sui instituti observatione, vel piis operibus eleemosynarum ac similibus operam dantes, frequentantes sacramenta, externis his sunt penitus dediti, leviter autem et casu ac perfunctorie interna considerant et colunt. Cum autem maxime omnium cultura animi in scrutinio intimi cordis et passionum, ac in vitiorum radicibus extirpandis consistat, unde ad externa derivet ; hinc fit, ut hi, passiones et commoda sua in multis sequentes, longissime a vero virtutis tramite aberrent.

QUARTO. Sunt et alii non pauci, qui existiment, vitiorum in virtutes commutationem, commutatione malorum in bona objecta perfici, et quidquid circa hujusmodi passio inordinata et immortificata operatur, esse opus virtutis ; aliorum scilicet vitia detestari, amplificare et tamquam Aristarchos omnia notare, et in rebus etiam sanctis, subtili quadam inquisitione defectus deprehendere ; sub specie sapientiae et prudentiae contra errantes vehementer irasci, et de eorum erratis scandalizari, dure ea reprehendere ac corrigere ; sub zeli divinae gloriae colore, aspere subditos tractare et alia hujusmodi, quibus continuo passiones proprias, et judicii ac voluntatis vitia fovent.

QUINTO. Sunt qui virtutum studium ament, et eo

usque progrediantur, quo multa bona agant ; at unam aut alteram circumstantiam earumdem virtutum non curant, ut scilicet commodis suis vel voluntati inserviant ; hique falluntur, dum modicum illis esse videtur id, quod praetermittunt, nec advertunt bonum virtutis esse ex integra causa, vitium vero ex singulis defectibus contrahi, juxta illud : *Quicumque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus* (1).

Sexto. Sunt etiam his similes illi, qui virtutum connexionem non advertunt, nec plene amplectuntur : est enim ipsorum philosophorum doctrina, virtutis actum unum perfectum requirere omnium aliarum virtutum habitus. Nam sunt paucissimi, qui in sua temperantia, quamvis non vincantur a sensu et voluptate, sint tamen ita fortes, ut nec mortis periculo parati sint virtutem deserere, nec honoribus, pecuniarum thesauris, aut aliorum bonorum hujus mundi objectis corrumpi, et in aliis omnibus similiter : immo vix ullus est, qui in suis virtutibus terminum aliquem non sibi praefigat, ex amore scilicet sui commodi vel suorum, quo adveniente non periclitetur in eo virtus : nulla enim virtus est vel exigua, quae omnium passionum ac totius omnino commodi omnimodam abnegationem non requirat. Plerique autem, virtutes non omnes, sed quasdam, nec in tota sua latitudine, sed angustas ac terminatas procurant ; hos autem occasio ipsa prodit, cum scilicet in periculis et aliis circumstantiis, quae connexionem hanc ac virtutum plenitudinem requirant, ejusdem desertores efficiantur.

Septimo. Sunt et non pauci, qui in quibusdam virtutibus strenue se exercentes, et magna quaedam ac singularia tentantes, in ceteris id non curant ; ut qui

1. Jac. ij, 10.

vitae sectantur austeritatem admirabilem, et tanti illam faciunt, ut, in ea sola sanctitatem positam esse existimantes, virtutum ceterarum studium ac vitiorum emendationem non curent ; nec intelligunt duplex esse genus commodi nostri et interesse : aliud quidem sensibile, et hoc superant ; aliud proprii judicii ac voluntatis, quod continuo retinent. Et haec de primo hoc genere satis. Principia autem et dogmata his erroribus contraria ex se sunt manifesta et a nobis in sexto gradu de virtutibus tradita.

§ II. — *Sub specie delectationis.*

SUB specie delectationis septem sunt praecipua illusionum genera.

PRIMUM est eorum, qui in longa oratione, et ejus oblectamentis divinis sanctitatem collocant, nihilque aliud summo studio quaerunt, quam mentis erga Deum sensibilem fervorem, in quo multos virtutum actus conantur elicere. Daemon autem multipliciter his illudit, fovendo hunc eorum fervorem, et nutriendo eorum gustus: extra orationem vero, nullam sibi vim faciunt ; immo impatientes, morosi, iracundi sunt, otiosi et inutiles : fallitque eos devotio ac fervor sensibilis, quem virtutis esse unicum refugium existimant ; cum autem illo destituuntur, plane inermes esse se sentiunt et impotentes.

SECUNDO. Sunt alii, qui similiter fervore quodam ducti, incidunt in excessus, qui virtutum magnarum speciem prae se ferunt, indiscretionis scilicet in multis ; propriique judicii ac voluntatis amore, gustu ac delectatione nimia seducti, nulli obediunt, nullius directionem aut consilium curant, et saepe in graves ac varias ruinas praecipites labuntur.

TERTIO. His similes sunt, qui motiones ipsius af-

fectus, cum praecipue in illis delectationem et impetum vehementer sentiunt, ita sequuntur, ut ab illis duci se sinant ac regi in omnibus suis actionibus ; quos daemon multis motionibus dilatare procurat, et quadam interna reflexione ita probat et commendat, ut in corde sibi videantur sentire illud omnino esse agendum, quod fervor ille et commotio dictat, nihil curantes rectae rationis, divinarum legum, et consilii sapientum lumen, in quo nos Spiritus Sanctus jubet ambulare, ne tenebris, sub specie lucis falsae, praeoccupati, graviter erremus ; ut multis ex his accidisse et legimus et experimur.

QUARTO. Ad hos etiam accedunt, qui alta nimis sapere et scrutari volentes, ante mortificationis studium, Dei uniones et mentis elevationes, et alia quae postrema ac summa sunt, per saltus aggrediuntur : et tandem, quo altius ascendere volunt, eo gravius cadunt.

QUINTO. Falluntur ex his multi desiderio imitandi Sanctos; quod cum inepte et imprudenter faciant, et in plerisque eorum, in quibus admirandi sunt et non imitandi, id tentantes graviter et turpiter illuduntur.

SEXTO loco illi sunt collocandi, qui veram in se et sanctam vivendi rationem sequuntur, sed a vocatione sua et instituto alienam; et hi peregrinantur spiritu, proprioque gustu et proprii amoris instinctu illecti decipiuntur: ut ex. gr. qui solitudinem et contemplationem amant, cum ad vitam activam sint a Deo destinati ; contra vero, qui vocati ad recessum et unionem cum Deo monachalem, volunt cum proximis versari et his similia.

SEPTIMO. Sunt multi qui viam rectam ingressi, primis initiis in suis praeparationibus et cooperationibus magnum virtutis sensum ac progressum experiri solebant, nec a sensibili fervore pendentes, vigorem ipsum

ac lumen virtutis sequi consueverant: qui ubi postea non solum sensibili destituuntur gustu, sed praeterea sentiunt, virtutis illum influxum, quo se roborari percipiebant, imminui ; ac post tentationum gravium victorias, a quibus illam quietem expectabant, se iterum praeter omnem expectationem impugnari, quin tamen ullam culpam expressam discernant : animo cadunt, affliguntur angustiis ; spiritu diffidentiae et pusillanimitatis opprimuntur ; cruciantur, lamentantur, quietem animi et constantiam deserunt. Haec autem est subtilis fallacia amoris proprii, dum delectationis gustum illum sensibilem pro virtutum robore sumunt, huic penitus nituntur, et illo destituti, in moerorem animi, unoque verbo, in apathiae perniciosum morbum incurrunt. Porro haec probatio communis est fere omnibus, qui ab initio vere et ex corde se devotioni ac virtutum studio tradunt ; et nisi tempestive ac opportune illi occurratur, vix possunt unquam liberari.

Consistit autem fallacia in falsis quibusdam principiis, quae daemon, amore proprio tamquam instrumento usus, in animos hominum immittit, ac fortiter imprimit.

PRIMUM est, tentari jam hominem spiritualem, et a vitiis abhorrentem, de iisdem crassis vitiis, ac vehementibus stimulis adeo incitari, malum esse. Cum tamen Apostolo datus sit stimulus carnis, et Angelus Satanae, qui eum colaphizaret, et eodem teste, virtus in hac infirmitate perficiatur et roboretur ; dictumque illi sit : *Sufficit tibi gratia mea* (1).

SECUNDUM ex falsis istis principiis hoc est, progressum virtutis consistere in sensu reflexo illius ; cum proprie in voluntatis firmissimo proposito declinandi ab omni malo et faciendi bonum positus sit, et in actibus directis virtutum circa sua objecta. Reflexio autem

1. II Cor. xij, 9.

illa, qua in nobis percipimus hunc virtutis cursum, et inde confortamur, amoris proprii fomentum est, quo nobis ipsis valde placemus; in se autem non est necessaria, et regula fallax et periculis plena ; nam augmentum virtutis humanae et omnium scientiarum et artium, cum spatium temporis requirat, est nobis imperceptibile : quod etiam in herbarum et arborum incrementis clare apparet ; multo autem magis id verum est in virtutibus divinis, quae a divina gratia pendent, cujus nedum augmentum percipimus, sed nescimus etiam utrum amore an odio digni simus ; Pater enim coelestis noster thesaurizat nobis in nobis ipsis, et gratiae dona plurima concedit, quorum non permittit sensum ullum nos habere, vel admodum exiguum. Multis de causis hoc sibi reservat ; idque valde nobis expedit, ut sic humiliemur, et ab ejus mero beneplacito divino pendeamus : subtrahit etiam sensum nostrum a propriis actionibus, iisdem de causis.

TERTIUM est principium fallax juxta quod praeparatio nostra, diligentia et cooperatio, esset regula infallibilis incrementi sensibilis virtutum. Nam est quidem necessaria cooperatio et semper adhibenda : nihilominus divina illa ac paterna providentia, qua in virtutum divinarum cursu regimur, non pendet ab illa : signum autem certum hujus rei est, quod saepe, cum praeparamur diligenter, nos aridos et jejunos dimittit ; cum minus autem cogitamus, confortat et illuminat. Quis enim clare non videt nolle divinam bonitatem ligari nostris legibus, sed liberam esse : *Spiritus enim, ubi vult, spirat ; et vocem ejus audis, sed nescis unde veniat aut quo vadat* (1) ; nos quidem decet esse ligatos, ut nunquam conatum nostrum praetermittamus : at non expedit ut conatui nostro innitamur ; sed, hoc praemisso,

1. Joann. iij, 8.

nos penitus Deo ejusque beneplacito, magna cum animi submissione ac fiducia filiali committamus.

QUARTUM quod fallit, est nostri hujus conatus ac cooperationis exhibitio, quam dubitant semper hujusmodi animae, an sit talis, qualis esse deberet ; et anguntur atque affliguntur de hoc vehementer. Error autem in hoc consistit, quod sentire ac clare percipere vellent quid intus agant, et an illud satis sit nec ne, et quid expresse requiratur, cum haec omnia semper in se dubia sint ac difficilia, nec a sensu nostro vel reflexione petenda ; sed simplici quodam affectu, humili ac sincero pro viribus, exhibendum sit Deo, quod quisque habet ac potest, ex toto corde ac bona voluntate. Tum existimandum ac judicandum hoc totum nihil esse et divinae voluntati supplicandum, ut quod in omnibus desiderat, ipsa compenset.

QUINTUM ac ultimum : latet hic venenum proprii amoris et gustus seu satisfactionis, quo, sub specie placendi Deo, subtiliter et latenter simul quaerimus nos ipsos nimium ; eo autem gustu destituti cruciamur et inquieti efficimur ; hunc autem si abnegare conaremur, solum quaerentes Dei gloriam et beneplacitum in omnibus, cessaret omnis angustia, cessaret tanta diffidentia et animi pusillanimitas, et animus in sinu paterno divinae providentiae ac bonitatis semper conquiesceret, quae nunquam deserit quaerentes se : fieretque quod Angeli decantarunt: *Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonae voluntatis :* et haec de secundo capite.

§ III. — *Sub specie honoris.*

IN tertio capite potissimum solet daemon multos illudere; cum nihil sit, quod hominem illudere ac fallere magis aptum sit, quam propria existimatio, et in plurimis actionibus lateat subtilis quaedam animi elatio.

Primo autem sunt, qui lumine ac viribus mere naturalibus circa objecta spiritualia occupati, vel intellectu vel affectu, quasi interno quodam accepto responso, falso sibi persuadeant dici ac evidenter ostendi, quod vel id, quod concipiunt, sit a Deo, vel id, quod valde desiderant, sint consecuturi ; quos proculdubio per nimiam vanamque existimationem seducit diabolus.

Secundo. In quibusdam divinis illustrationibus vel affectibus, sunt qui mirum in modum haec extollentes, et pluris longe facientes, quam vere deberent, cum sint ex illis quae multis ordinarie communicari soleant, magnam inde persuasionem sibi faciant, se in alto statu esse collocatos, et extra aliorum ordinem a Deo visitatos.

Tertio. Alii ex iisdem immissionibus concipiunt ardens desiderium rerum altiorum,ut puta,intelligentiae Scripturarum, vel mysteriorum divinorum, virtutum heroicarum, donorum et gratiarum spiritualium, quae gratis datae a Theologis nuncupantur ; seque ad haec aptos et habiles esse existimant.

Zelum vehementem in proximum multa et magna operandi, sed non secundum scientiam solidam ac prudentiam induunt ; spem habent rerum magnarum et eam ostentant ; ac propterea semper sunt animo inquieti et perturbati.

Quarto. Nonnulli, his quae diximus, aut aliis quae, vel quoad dogmata vel quoad mores, recta et vera non sunt,judicii proprii tenacitate et nimia aestimatione delusi, specie bonae intentionis et multarum rationum quas ipsi fingunt, tam vehementer adhaerent, ut nullo medio, neque rationum verarum pondere, nec auctoritate Doctorum, possint ab illa sua inani et falsa persuasione dimoveri.

Quinto. Alii ad haec sive his similia trahuntur, non

tam intellectus lumine ac rationum vi, quam affectus tanta suavitate ac dulcedine, ut per hanc in eamdem, et aliquando majorem, animi in suis erroribus obstinationem inducantur.

Sexto. Non desunt qui, ex modico ac levi principio divino, ingenii naturalis subtilitate, multa deducere ac dilatare valeant, etiam in scriptis, eaque omnia divina esse ac supernaturalia existiment, sibi in hoc valde placeant et coram aliis jactent.

Septimo. Denique, sub specie humilitatis, sed falsae et inanis, multi decepti alios etiam in errores inducunt; et, quoniam humilitas est omnium virtutum fundamentum, in omnibus aliis virtutibus necesse est etiam illos esse delusos. Latet autem mirum in modum hic daemonis et amoris proprii versutia ac dolus; dum superbia ipsa pallio humilitatis tegitur; estque propterea morbus hic et cognitu et curatu difficillimus. Nam incipit quidem homo humilitatis sensu, quoad intellectum et conceptus ejus; in quibus, dum orat, sibi videtur clare repraesentari, quod nihil sit, quod maximus peccator, quod inter creaturas vilissimus; quoad affectum vero, cum primum haec de se concepit, non addit odium verum et abominationem sui, qualem vere erga foetida et nobis inimica habere solemus; sed latenter sibi placet, videturque sibi accepisse eximium donum cognitionis sui; et propterea valde gratum Deo se reputat. Hinc charitatis in Deum, fervoris et aliarum virtutum actus experitur vehementes, at plenos amore et existimatione propria, ac sensibili quodam gustu et fervore: et sic misere non discernit coram ipso Deo se superbire et extolli eo magis, quo profundius humiliari existimat; nam vere terminatur totus hic progressus internus in magnam opinionem sui ac delectationem et sensum vehementem propria-

rum virtutum, a quibus omnibus divina puritas et majestas valde abhorret.

Nam *primo*, non solum humilitas sancta requirit, ut omnia a Deo recognoscantur, nihilque a nobis, quod non est adeo difficile: sed ut ipsa dona Dei in nobis nullum efficiant sensum elationis, quasi per illa aliquid simus coram Deo. Sancti enim viri, quo majora a Deo acceperant, eo se viliores ac pejores, etiam cum illis, existimabant: immo nullum recognoscebant in se donum, nullam gratiam; omnia enim charismata mergentes in abyssum suae vilitatis ac pravitatis, ita obruebant, ut in se, et potissimum coram Deo, nihil aliud nisi peccatorum maximorum foetorem perciperent, et Domino repraesentarent.

Secundo, coram aliis, quamvis in hac illusione homo se dicat esse vilissimam creaturam, insinuat tamen sensim et extollit dona, quae accepit; hac communicatione delectatur sub specie divinae gloriae, et proximi utilitatis, patribusque spiritualibus detegit eamdem formam, quam intus servat; et quemadmodum vere coram Deo in donis suis superbit, sic etiam coram majoribus: nec aperit sincere suam animi elationem, quia vere non discernit, et ab hac reflexione et vera sui confusione abhorret; directionem ac reprehensionem ficte quidem videtur admittere; at excusat errores, tribuit daemoni, fragilitati, etiam saepe illis ostendit fuisse annexos multarum virtutum actus; dum videtur velle obedire, trahit tandem omni conatu ad sensum suum ac voluntatem praecepta majorum; et jactando animi resignationem, propriam fere semper voluntatem explet sub specie etiam devotionis; ut ex. gr. cum prohibetur illi Eucharistia vel oratio justa de causa, vel etiam ad probationem, lamentatur et cruciatur tam vehementer, ut inducat superiorem in sensum suum; et in aliis similibus.

In minimis patiens et mansuetus videtur, at excusationes praetendit et justificationes sui in plurimis, nec permittit famam suam unquam laedi ; et sub specie hac se tuendi ad Dei gloriam, alios sibi infensos deprimit ac confundit ; illos quaerit, illisque adhaeret qui de rebus suis bene sentiant et sibi faveant ; nullam unquam correctionem ac reprehensionem, cum occasio sese harum offert, se promeruisse aut sentit aut fatetur. Hinc denique, in omnibus virtutibus et actionibus, sub eadem larva, sequuntur speciosa quidem spectacula, at verae et graves ruinae : et haec de fallaciis et illusionibus circa virtutem.

§ IV. — *Remedia.*

SUPEREST jam ut de remediis aliquid dicamus. Frustra autem in tanto negotio laboratur, nisi 1° illusionum radices, amor scilicet proprius et sui aestimatio nimia ac inordinata, pro viribus per gratiam divinam eradicentur : et 2° motus pravi naturae, qui cum gratia pugnant vel motus ejus contaminant, reprimantur. 3° Denique sunt particularia remedia singulis morbis accommodanda.

PRIMO. Necessarium est fundamentum solidum jacere ante omnia contra hunc amorem proprium : consistit autem in eo, ut homo nihil proprii penitus sibi velit, indifferentiam quamdam animi absolutam induat, qua sit, tanquam tabula rasa, paratus ad omnia, quae Deus ipse ab illo requirit, quocumque modo quocumque medio, quacumque ratione, cum summa, animi simplicitate, nihil inquirendo aliud, nec quidquam immiscendo proprii judicii, voluntatis et deliberationis : ut velit Deo servire sine ullo commodo aut bono suo, etiam circa spiritualia ; cum jam satis sit manifestum ex dictis, plurimum hujus commodi immisceri in divinis ; cui est renuntiandum, sicut alias fecit

mundo, cum vero odio et abominatione, qualem habet erga vitia turpia ac manifesta; ut nullam velit hic a Deo retributionem, nec famae, nec consolationis, nec satisfactionis propriae, cum proposito firmissimo serviendi illi solum propter se, cum abdicatione omnium rerum creatarum, et purissima intentione divinae gloriae et beneplaciti in omnibus.

SECUNDO. Necesse est, ut examinet diligentissime ac inquirat in se motus gratiae et naturae, omnesque affectus suos circa spiritualia. Lumen autem accipiet magnum et clarum ex iis, quae jam explicavimus, et per orationem ac examen procurando illos affectus, quos superius commemoravimus in capite de consolationibus, inspiciendo et inquirendo quomodo his utatur circa divina et circa actus virtutum. Potissima autem hujus examinis capita haec esse possunt:

Quid ab eo Deus velit ac requirat?

Quibus inspirationibus, divinis motivis, sensibus et affectibus circa divina, ad perfectionem Deus eum promoveat?

Quomodo his omnibus ipse correspondeat?

Quae et qualis sit intentio sua, quinam praetextus?

Quid a Deo ipse velit?

Quid amoris proprii ac commodi in omnibus affectibus et actionibus sit immixtum?

Quomodo purissimam Dei gloriam in omnibus quaerat? Et alia ejusmodi.

TERTIO. Sequi debet praxim regulae S. P. Ignatii, qua initium, progressum ac finem totius alicujus negotii, vel spiritus et affectus, diligenter perpendens, lumine claro et efficaci detegat daemonis et amoris proprii fraudes, et potissimum sophismatis et illusionis punctum, de quo diximus superius, ut plene possit dissolvere opera diaboli, et in posterum sibi cavere,

veraque ac solida principia et praecepta perfectionis in via Domini formare ac diligenter observare.

QUARTO. Ut autem id facilius evadat, signa potiora solidae virtutis hoc loco subjicimus ; reliquis ad sextum gradum nostrae *Disciplinae* remissis.

I. Nihil quaerere sui commodi ac boni in omnibus, sed nudam Dei gloriam, ut jam diximus.

II. Vere ac plene in omnibus se ipsum, et potissimum in suis voluntatibus ac judiciis, vincere.

III. Pati libenter mala, injurias et persecutiones.

IV. Benefacere ex corde iis, qui ista nobis inferunt.

V. Humiliari ac subjici omnibus.

VI. Multa bona pro viribus operari, et occultare.

VII. Velle haberi vilem ab omnibus, minime vero humilem.

VIII. Quieto ac hilari animo ferre quaecumque obveniunt, et plene divinae voluntati conformari.

IX. Docilem esse in omnibus, et facile aliis cedere.

X. Esse constantem in quocumque bono incoepto.

QUINTO. In posterum, cum primum motus quoscumque divinae gratiae in se sentit, praxim eam observet, qua praeservetur a contagio et peste amoris proprii. Est autem haec :

1° Ante omnia gustum suum, nihil in eo sistendo, referat quamprimum in Deum, et ab illo immediate, sine ullo suo merito, dari recognoscat.

2° Perpendat amorem, quo donum illud sibi a Deo datur, et ipsi dono datorem ejusque charitatem longe praeferat.

3° Desiderio flagret gratitudinis, ut quamprimum correspondeat, clamet cum Apostolo : *Domine, quid me vis facere* (1) ? Sic enim facile intelliget, quid Deus ipse velit, ut illud exequatur.

1. Act. ix, 6.

4° Nullum propriae consolationis aut commodi affectum misceat, sed omnem motum ejusmodi praescindat et evellat.

5° Sine animi diffidentia vel angustia, suaviter et diligenter studeat divinae voluntati obedire, illamque exequi.

6° In opere iterum caveat amoris proprii contagium, ne scilicet timore ullo mali, vel quacumque alia difficultate deterreatur, vel prosperitatis cujuscumque specie illudatur; sed constanter vincat in bono malum.

SEPTIMO. Magni refert in oratione cavere periculum proprii amoris, quod latenter saepe incurritur.

Primo igitur, se coram Deo tamquam nihilum reputet, cum vere ex nihilo sit, ac in nihilum tendat.

Secundo. Creatum se esse ad Dei imaginem perpendat, non ut in consolationibus aut animi elevationibus, sed ut in contemptu sui et in cruce portanda Christum imitetur.

Tertio. Cogitet multos esse damnatos, qui in oratione et aliis, se ipsos et sua quaerentes, misere sunt a daemone illusi, esseque hoc in maximum beneficium computandum, quod hoc sibi non contigerit.

Quarto. Modum perfecte Deo serviendi hunc esse reputet, velle omnia propter Deum solum, et in omnibus rebus, etiam spiritualibus, sibi ac proprio amori renuntiare; ac firmissime proponere se hoc esse facturum.

Quinto. Cum aliquem sui contemptum sentit, advertat humilitatem in hoc solo non consistere, sed in opere potissimum ac humiliatione.

Sexto. Unionem quamcumque cum Deo, etiam sublimem, suspectam habeat ob suam indignitatem, recusetque penitus, illud de Filio Dei perpendendo: *Vulpes foveas habent et volucres coeli nidos, Filius*

autem hominis non habet, ubi caput reclinet (1) ; et in hoc curet veram ac profundam unionem cum Christo : et existimet perfectum amorem in opere et labore consistere magis, quam in suavitate affectus.

Septimo. Si quando sibi videatur cum Paulo et aliis Sanctis elevari in tertium coelum, ad eorum similitudinem confundatur, horreatque summopere, considerando quanto inferior sit illis humilitate, contemptu sui, tolerantia passionum ac persecutione, miraculorum ac prodigiorum dono et aliis : et hinc plane intelligat superbia horrenda se tentari, cum illis, ob tenues quosdam ac saepe inanes animi sensus, se comparare audet, a quorum virtutibus et donis quam longissime abest.

Praeter haec omnia necessarium est singulis morbis propria remedia adhibere, quae ex dictis colligi possunt, tum ex sexto gradu de *Disciplina interiori.* Ea autem quae diximus hactenus, in remedium harum illusionum, tripliciter possunt accommodari :

Primo. Cum ille qui errat, lumine claro et efficaci errorem suum, ejusque causas ac radices, per ea, quae diximus, plene intelligit : tunc enim facile curabitur.

Secundo. Cum non est hujus cognitionis capax, existimatque se bene procedere ; quo casu suaviter ab eo, qui ejus curam habet, est admonendus : et primo quidem ut in universum intelligat, quam difficile sit in via Domini rectum tenere modum, quantis periculis, et daemonum insidiis sit exposita, quam multi errarint ; possentque afferri aliquot exempla in variis materiis, quae habentur passim apud auctores ; tum vero, omni suspicione falsa ei sublata, qua possit dubitare de auctoritate et sinceritate ejus qui illi praeest, debet clare suum illi errorem aperire, et remedia apta subjungere, ut a tanto morbo liberetur.

1. Matth. viij, 20.

Tertio. Quod si nec hujus disciplinae et correptionis sit capax, expedit illum confundere et mortificare ex ipsiusmet signis, verbis et factis, et, si opus sit, coram aliis convincere ; quod potissimum in eis locum habet, quos superbia et vana praesumptio seduxit. Et haec de primo capite, hoc est de illusionibus affectus et voluntatis.

Caput vj. — De illusionibus intellectus.

INCIPIT quidem fere semper daemon homini illudere circa affectum et virtutes modis his omnibus, quos explicavimus, et aliis : at pergit saepe ad altiora et speciosiora, ut fraudes suas tegat astute, et firmius animis simplicium vel superborum infigat, utque multos alios seducat horum specie ac auctoritate. Sunt autem haec, ut plurimum, prophetiae, cordium penetrationes, donorum ac gratiarum impetrationes, falsa miracula ac prodigia, et mentis elevationes, tum quoad raptus et extases, tum quoad objecta divina, ac vires hominis ordinarias excedentia. Praetendit autem ea, quae primo loco explicavimus, mala ac peccata quam maxime potest, et ordinarie in turpitudines inducit, vel in superbiam, ac sanctitatis falsam, etiam apud multos, persuasionem ; vel in falsa dogmata ac errores, et potissimum omnium, post haec omnia, cum error detegitur, in desperationem, ut sibi similes efficiat homines, quorum salutis livore et invidia maxime cruciatur.

§ I. — *Fallaciae daemonis.*

HIS autem temporibus quam fallax sit et astutus daemon, quantum fremat contra Deum et homines, nos ipsi non uno sed multis exemplis testificari possumus. Immo in primis, ut hinc ordiamur, novit totus

mundus viros ac foeminas quosdam, qui sanctitatis opinione jam fere apud omnes praevaluerant, misere ac turpiter fuisse in erroribus illusionibusque deprehensos, et poenis debitis affectos. Quod quamvis scandalo multis pusillis fuerit, sapientes tamen et habentes sensus in his exercitatos optime norunt has esse artes daemonis quibus, veris prophetiis, miraculis ac donis Dei sublimibus, a Domino servis suis etiam hoc saeculo communicatis, vel communicandis in posterum, hac quorumdam infamia, detrahere impie praesumit, ne illis deinceps credatur ; utque bona plurima, quae hinc sequi solent, ad multorum salutem ac Dei gloriam, impediantur. Nec enim propterea spiritus sunt extinguendi, ut recte monet Apostolus (1), sed probandi an ex Deo sint, ut divus Joannes praecipit (2) ; nec prophetiae spernendae (3), sed verae a falsis mature discernendae ; nec denique existimandum est, deseruisse Dominum ac Patrem misericordiarum Ecclesiam suam. Immo furor ille daemonis, tot fallaciis plenus, indicium est manifestum earum gratiarum , quas Deus nobis forsan praeparavit, quasque inimicus Dei et hominum praesagiens, conatur his artibus ac fallaciis praeveniendo obscurare.

Mirum est autem ac difficile creditu, quanta quamque horrenda hisce temporibus et moliri et persuadere conatus sit. Mitto enim horrendas turpitudines, in quas mulierculas inducit per imaginum sanctarum inspectionem, per confessariorum affectionem internam spiritualem, licet vanam, per usum ipsum sacrae confessionis. At, quod horrendum est dictu, scimus ac novimus aliquas in ipsomet Eucharistiae sacratissimo mysterio ac sacra Communione, fuisse turpissimae hujusmodi insaniae furore obcoecatas ac contamina-

1. I Thess. v, 19. — 2. I Joann. iv, 1. — 3. I Thess. v, 20.

tas. Omitto stigmatum impressiones et visiones sublimes specie, re autem inanes, extases, raptus, et alia ejusmodi. Ad majora venio.

Certum est enim in urbe Italiae insigni, sectam fuisse inchoatam a muliercula olim celebri, jam vero infami, quae et sacerdotem seduxit : hujusque sectae foeminas quasdam et cognovimus et allocuti sumus ; et ipsaemet hoc proprio ore confessae sunt, et earum in libellis publicae ac judiciariae testificationes id confirmant. Hae autem in suis conventiculis orabant simul, et potissimum ex Canticis aliquid sumentes, excitabant se ad actus amoris in Deum, quos et sanctissimos esse jactabant, et tanto fervore in eis agebantur a daemone, ut quasi extra se fierent. Inde vero, existimantes Deum ipsum immediate vi charitatis mutuae illis conjungi, prorumpebant in turpissimas corporis etiam contaminationes, hasque inter se, et potissimum foeminae cum foeminis explebant ; et hunc esse summae sanctitatis actum et divini amoris exercitium existimabant et appellabant ; Deumque ipsum immediate, per divini amoris sublimitatem, haec tam turpia et horrenda in illis operari, et fomitem sanctificare ac redimere. Extra vero hanc amoris divini excitationem ad libidinem, nunquam licere, nec mariti cum uxore conjunctionem, negantes propterea maritis suis debitum, aiebant ; et per elevationem orationis in Deum, huic tantae ac tam horrendae turpitudini ita vacabant, ut non solum sanctam esse ac summe Deo placere, sed etiam a Deo immediate quaeri ac causari tamquam sublime quid, ac omnium, quae unquam scripta sint aut facta, sanctissimum crederent ac profiterentur. Ipsa autem muliercula, harum turpitudinum caput, de Christo Domino sibi visibiliter apparente et secum conversante, tam horrenda impudentissimo ore proferebat, ut vere adeo nefanda silentio praetereunda esse ducamus.

Haec dum legimus, et certo scimus esse verissima, comparantes, cum antiquorum omnium haereticorum, ab Apostolis usque ad nostra tempora, circa has abominationes licentia et impudentia, aperte intelleximus, non solum turpitudine longe illa superare, sed nec in posterum graviora excogitari posse. Admiserunt plurimi haeretici genus omne libidinis, excusarunt omnem culpam ; immo et naturae et rationi conformem esse professi sunt. Addidere etiam nonnulli in his cultum, et illum admiscuerunt suae turpitudini ; at nemo unquam ausus est summam sanctitatem in libidine extra naturam collocare, ex ipsa charitate in Deum illam deducere, ipsi Deo ac divinis Personis et Christo Domino, etiam secundum suam sanctissimam humanitatem, immediate operationem tantae turpitudinis adscribere : fitque hinc manifestum non posse aliquid gravius in hoc genere effingi. At praeter haec incidimus in tot gravissimarum illusionum casus, tam occultos et probabiles, ut viri etiam probati et valde periti virtutum specie et magnitudine elevationum seducerentur, quos longum esset nimis commemorare. Unicum sufficiat exemplum mulieris tam pie et sancte viventis, ut nihil in ea posset reprehendi, et ad sublimes atque evangelicas visiones saepissime extra sensus elevatae ; quae suo confessario, viro pio ac prudenti, impetravit peccatorum suorum cognitionem et compunctionem vehementem ac plane naturae vires excedentem, charitatis praeterea in Deum lumen ac fervorem quam maximum. Quae omnia de ore ejus ipsi audivimus et admiratione digna judicavimus. Hunc nihilominus, ad suspensionem judicii et maturitatem, in re tam ardua plenaque periculis, hortati sumus, ut probaretur mulieris spiritus, quam postea aperte cognovit esse a daemone illusam cum aliis non paucis, quae illi adhaerentes, earumdem fallacia-

rum fuerant participes : et longa ac difficili sane cura tandem mulier et sociae ejus, divina juvante gratia, sunt penitus de faucibus inferni ereptae, et in ordinem christianae humilitatis reductae. In his autem omnibus observavimus daemonem, longa experientia tot saeculorum praeteritorum edoctum, et Sanctorum, qui contra antiquas fallacias remedia adhibuere, simiam effectum, ut nostrum hoc saeculum seducat, subtili arte et insidiis hac nostra aetate sanctitatem simulare ac fingere, majori sagacitate et astutia quam olim fecerat ; unde etiam majori opus est prudentia et arte ad ejus fallacias detegendas. Nam humilitatem profundam, animi resignationem, et ad omnia promptitudinem prae se fert ; interna etiam signa illa aemulatur, quae Sancti olim ad sanctitatem veram a falsa discernendam in se experiebantur et ex quibus alios docebant ; imitatur donorum et gratiarum impetrationem, ut in exemplo allato videre est, quod sanctae Catharinae Senensis speciem referre videbatur.

Et ut ad viros etiam extendi ejus fallacias appareat, exemplum aliud subjungimus viri religiosi, ac tam devoti, et vocationis institutique sui tam studiosi, ut in eo nihil desiderari posse videretur. Hic lectione rerum spiritualium, et potissimum, earum quae ad animi submissionem et cum divina voluntate conformitatem pertinebant, vehementi quodam fervoris spiritu commotus, coepit et internis humilitatis ac sui contemptus actibus, et externis mortificationis et omnium virtutum operibus adeo elucere, ut esset omnibus admirationi, tamquam lucerna in candelabro exposita ; confessionem totius vitae fecit tam insignem, ut crimina sua a minimis usque ad majora et penetraret et cum circumstantiis omnibus notaret diligentissime ; et praeterea claro et copioso lumine, eoque plane insolito, causas proprias et intimas radices occasionesque

peccatorum suorum, initia, progressus et exitum, daemonis insidias et praetextus, Dei providentiam ac bonitatem, qua in tenebras mentis lucem divinorum influxuum demittebat, et alia plurima, usque ad minutissima quaeque, ordine quodam mirabili et interne conspiceret verbisque explicaret. Post diligentem et perfectam expiationem, coepit, virtutum omnium luminibus propriis et praeceptis illustrari, et accendi efficaciter singulis fere horis, progressus magnos in illis prae se ferre. Erat autem illud stupore sane dignum, quod discretionis omnium virtutum tam insigne donum videbatur habere, ut nihil posset desiderari in tanta virtutum multitudine et actionum sanctarum varietate, quin et praecepta solida earum traderet, et daemonis insidias circa eadem detegeret. In omnibus vel minimis suis actibus, non solum peculiari lumine ostendebatur illi quid agere deberet, sed et affectus ac voluntas et potentiae et membra ipsa in singulis agebantur a spiritu, et videbatur quasi ab illo possessus, juxta illud : *Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei* (1).

Ad haec omnia lumina et dona, quae gratiam sanctificantem indicabant, accesserunt alia gratis data, eaque insignia. Nam, cum antea esset rerum divinarum plane ignarus, accepit donum interpretandi Scripturas tam copiosum, ut in primis memoriter, sine codice, ad verbum omnia teneret ac referre posset : tum a libro Genesis incipiens, et percurrens Prophetas, Evangelia et Epistolas, nihil fere praetermitteret, quod posset ad virtutum omnium ac sanctitatis sensus aperiendos spectare, et potissimum submissionis, et propriae vilitatis, ac Dei majestatis, et similium. Erant autem ejus sensus et interpretationes altae, profundae, propriae et singulares ; cumque juberetur haec omnia scribere,

1. Rom. viij, 14.

noctibus integris aliquando sine somno ductis, continuo ac velociter scribens, vix poterat minimam partem exponere thesauri interni, cujus abundantia cor redundabat, os loquebatur et calamus exarabat. Vidimus haec et legimus; viderunt et legerunt alii viri eruditi et probi; omnesque stupore vehementi afficiebantur. Coepit deinde in corda hominum penetrare, et intima eorum aperire; nec unius aut paucorum tantum, sed familiae integrae Religiosorum discernebat spiritus; adhibebat aptissima remedia, et omnia vere et sancte. Ad divinas autem illustrationes, et altissimas fere semper, elevabatur tanta facilitate et copia, ut potuerit de divinis mysteriis, dogmatibus, et potissimum de virtutibus, uno die integra volumina dictare. Erat autem primis diebus humillimus, et perfecte in omnibus obediens, et speculum ac exemplum omnium virtutum in suo instituto. At coepit daemon paulatim, sub specie instinctus divini, a quo duci videbatur, impellere eum ad quosdam excessus orationis, vigiliarum et similes, qui tamen videbantur excusari posse: tum ad perturbationem quamdam ordinis et regulae suae, qua fiebat, ut, cum alii orarent, ipse non posset propter vehementes capitis dolores: ubi autem advenerat hora somni, tunc orationi instare fere cogeretur; in comestione similiter et in aliis. Unde sensim ipse sibi persuasit altiorem quemdam instinctum divini spiritus sibi assistere, et huic esse obsequendum, non vero legibus quibuscumque, utpote humanis, donec progressu quodam subtilissimo ac fere imperceptibili, eo deductus est, ut et in membris et in omnibus potentiis, ac si esset arreptitius, traheretur et quasi determinaretur ad omnia; sicque et regulas proprii instituti plane desereret, et nullam jam alterius directionem curaret, et se tam infallibili regula gubernari existimaret, ut jam in gratia confirmatus sibi videretur, et libertatem voluntatis pro-

pemodum nullam admitteret ; tam speciosa humilitate deceptus, occulta superbia tanta seduceretur, ut apostolicum se spiritum habere, immo et majorem, crederet, velletque secum trahere totum mundum, ac pro defensione sui evangelii vitam profundere, cum apertissimos tamen errores jam clare evomeret. At quia revera intentio ejus bona ac pia nunquam laesa fuit, praetendebat enim Dei gloriam, et in moribus recte se gessit semper, et cum omnium aedificatione, quamvis difficile admodum fuerit ab erroribus suis eum revocare : placuit tandem divinae bonitati non solum resipiscendi spiritum ei communicare, sed tanto ac tam claro lumine, ut, quod in his casibus est difficillimum, paucorum dierum spatio, a daemone, cujus erat sane mancipium, liberatus, penetraverit et suos errores et daemonis progressum atque artem. Quare remedia a majoribus proposita non solum complexus est toto corde, sed etiam factus est magister ac doctor et sui ipsius et aliorum ; ambulatque jam in sinceritate et veritate coram Domino, ut illi in sanctitate et justitia serviat omnibus diebus vitae suae.

§ II. — *Remedia.*

QUAMVIS igitur et daemonis artes, quas in malum ac ruinam animarum tentat, semper eaedem fuerint, eademque remedia et praecepta Ecclesiae ac sanctorum Patrum ; negari tamen non debet, quin exemplis aptissimis et experientia ipsa duce ac magistra, didicerimus doctiorem quotidie in malo fieri inimicum humanae naturae, subtilioribusque insidiis, ut diximus, hac aetate nos fallere, ideoque efficacioribus opus esse remediis.

IN PRIMIS autem, quae de virtutum falsarum morbo ac curatione dicta sunt, in usum hic etiam deducenda sunt. Nam, vitio sub specie virtutis latente detecto,

morbus etiam intellectus ut plurimum erumpit ; et pro qualitate personae et vitae ejus moribus, judicandum esse de supernaturalibus omnes docent.

SECUNDO. Quae a Doctoribus proponuntur remedia opportuna haec sunt, ut scilicet multa in his, quae videntur naturae vires excedere, deprehendantur intra naturae limites contineri, vel saltem ingenii viribus naturalibus dilatari, vel affectus impetu augeri, ut superius etiam dictum est : tum mentis, qui videntur excessus, ex temperamento oriri. Nam quod somnus facit et vinum, potest et temperamentum operari, et vehemens imaginatio ; ut quasi extra se anima rapiatur : immo narrat Augustinus fuisse in potestate cujusdam presbyteri, ad nutum extra se ita rapi ut, acu et etiam cultro, usque ad sanguinis effusionem percussus nihil sentiret : a daemone autem plurimis modis idem posse etiam fieri certum est. Idem de prophetiis dicendum est, cum et sint quaedam omina rerum, et plurima suggerat daemon, prudenti aque humana ac Scripturarum doctrina, et interni quidam sensus, sed pure naturales, sub specie divini influxus ad multa praedicenda valeant ; sancti viri etiam aliquando fallantur, sitque propterea spiritus hic prophetiae admodum fallax. De miraculis etiam, de cordis penetrationibus, aliisque hujusmodi, idem dicendum est.

TERTIO. In visionibus ac mentis elevationibus spectandae sunt et perpendendae res ipsae ac objecta, an vana et inutilia sint, vel saltem ad bonum commune nihil conducentia ; vel e contra. Tum conformitas cum Ecclesiae dogmatibus circa fidem ac mores, cum Scripturis divinis, cum doctorum communi sententia, et Ecclesiae traditionibus : et si nova quaedam emergant et revelentur, quamvis novitas omnis mature sit perpendenda tamquam suspecta, non tamen hoc

solo titulo est damnanda statim ; sed an ex naturae lumine, an ex divinis Scripturis, et aliis similibus possit deduci, an sit antiquitati conformis, an vere et fidem pristinam et mores antiquos confirmet, est examinandum : sic enim multa nova his similia Deus saepe per suos Sanctos revelavit. Secus vero, si haec non adsint, valde debet esse suspecta revelatio. In veris autem revelationibus solet Deus simul internum quemdam sensum ac gustum conjungere, quo se a Deo moveri Sancti cognoscunt, ut Augustinus, Gregorius aliique testantur : hoc autem cum aliis signis et probationibus est conjungendum. Haec igitur omnia et his similia, quae passim in auctoribus habentur, optima sunt. At certum est, nullam in his esse regulam infallibilem ; conjecturis ac prudentia, spiritusque interni sensu et experientia quadam, non raro, haud infeliciter tentari curam horum morborum ; at saepe etiam errari, potissimum vero hac aetate, qua, ut dictum est, daemon subtilius fallit, et difficilius est fraudes ejus detegere.

Praeter haec igitur omnia, remedium omnium tutissimum proponimus, quod experientia nos docuit in multis esse valde efficax, et quo in omnibus his illusionibus semper usi sumus ; saepeque multos esse sanatos testamur, quia vidimus. Est autem hoc, ut qui hujusmodi animas dirigit, quamvis in initio nullum adsit signum, quo possint visitationes illae extraordinariae condemnari, antequam progressum ullum faciant, vel quamprimum fieri potest, sibi persuadeat, et persuadere etiam conetur his personis, id quod a Deo esse existimant, esse posse a daemone, ac saepe nos falli, et adesse summum periculum gravissimi peccati. Nam cum quis judicat se a Deo moveri, et certo id credit, facile omnia admittit, delectatur, actus adhibet multos liberos, quibus consentit iis quae in illis eleva-

tionibus repraesentantur. In iis autem periculum est commercii cum daemone, idololatriae, qua pro Deo adoratur daemon ipse, tum peccatorum ac malorum fere omnium, summae etiam difficultatis se liberandi a tot malis, cum jus veluti quoddam daemon in hos ex mutuo consensu acquisierit, nec sine tormentis ac gravissimis poenis recedere soleat. His omnibus aliisque similibus praemunita anima, si vere Deum timet et amat, non solum tenetur suspicari, sed dubitare vehementissime usque ad maximum terrorem; et ab his omnibus, quae viam ordinariam excedunt, abhorrere; cum potissimum, etiam si vera sint, quod est incertissimum, non sanctificent hominem, nec magis gratum Deo efficiant, immo vanitatis, superbiae, jactantiae, et multorum aliorum vitiorum iis qui haec credunt, ac ruinae evidentes afferant occasiones. Praeterea vero, qui has habet visiones, si in virtutum soliditate est fundatus, de se proculdubio debet sentire humiliter, se illis indignum existimare, dubitare an sint illusiones ac fallaciae daemonis; idque eo vehementius, quo est humilior: jamvero qui dubitat, suspendit judicium et assensum, nec statim primo aspectu se dat in praedam harum apparitionum. Exemplum unicum sit Beatissimae Virginis Matris Dei, quae propterea turbata est et cogitabat qualis esset illa salutatio, quia se indignam tanto honore existimabat. Quod si non sit hac virtute praeditus, sed adhuc imperfectus et novitius, tanto magis est illi timendum, ne per saltus in altiora evectus, inde in barathrum errorum praecipitetur.

His igitur, et aliis hujusmodi jactis solidis fundamentis, nihil est securius, quam ut ante omne examen, an sint a Deo vel non, et ante omnem progressum, is qui animarum hujusmodi curam habet, in corde suo cuncta ista valde timeat, et merito. Nam, si ipse foveat,

exponit se periculo participandi omnia peccata ac ruinas, quas saepe vidimus ex nimia credulitate et indulgentia sacerdotum ortas esse. Exterius autem, multo magis cum persona, cui haec accidunt, severe admodum et mature est agendum, et motivis jam allatis, vel aliis, efficaciter persuadendum ut haec nullatenus curet sed spernat, et omni conatu rejiciat, ex sensu intimo suae indignitatis et periculi jam explicati ; neque solum non consentiat, non admittat, non delectetur, sed abhorrere quasi a peste omnibus viribus contendat. Nam, si viriliter in hac agendi ratione persistat, nullisque blanditiis aut signis quibuscumque se allici, aut immutari sinat, vel in minimo, procul dubio daemon superbus et impatiens se ipsum prodet ante quodcumque examen, aut moram, aut remedium aliud, in quibus omnibus, ut jam diximus, nihil est certitudinis, et plurimum latet periculi, his potissimum temporibus, quibus mira arte imitando sanctitatem conatur haec omnia eludere. At cum aperte et perseveranter contemnitur, in primis nullum acquirit jus, nullum habet consensum, nullum commercium ; tum ex superbia et ira prorumpit aperte in signa evidentissima suae pravitatis, et coram Deo meretur hujusmodi anima lumen discretionis, ac vires magnas ad resistendum diabolo.

Quod si quis objiciat : quid si a Deo immittantur ? numquid non impium est divinas illustrationes rejicere et contemnere ? Respondemus : nihil esse timendum. Nam, cum tantum sit periculum erroris et superbiae, placet summe Deo haec humilitas. Patet hoc duplici exemplo. Alterum est, cum quis vere sanctus multis laudibus ab aliquo extollitur ; quamvis istae laudes sint verissimae, si tamen applaudat ille et assentiatur, non jam reputatur sanctus, sed vanus. Sanctus autem et erit et judicabitur quo vehementius, ac veluti excandescens, humanas laudes repellat et se miserrimum

et indignissimum illis protestetur. Alterum exemplum sit, cum offeruntur imperia, episcopatus aliaeve dignitates viris dignis ob eorum virtutes et merita, nulli dubium est nihil sanctius ac tutius esse, quam ex propriae indignitatis et insufficientiae professione, omnia recusare, et hoc placere summopere Deo, etiamsi ipse efferat et vocet ad haec, et ex intima humilitate ab his abhorrere.

Verum enimvero, in hujusmodi apparitionibus contineri, vel expresse vel saltem virtute, laudes insignes illius cui ostenduntur, certum est, et esse signa quaedam, quo majora omnibus naturalibus et moralibus, eo altius protestantia sanctitatem et merita illius. Nihil igitur periculosius quam admittere, nihil securius aut laudabilius coram Deo quam vehementer obsistere; potissimum cum tanta sit incertitudo, tot tamque gravia immineant pericula peccatorum maximorum. Immo haec humilitas est dispositio optima, qua anima illa vere divinis visitationibus digna efficitur, cum Dominus intelligat illam detestari daemonis fallacias, non Dei privilegia, et suam indignitatem ac vilitatem velle protestari, non autem Deo resistere ; immo hanc esse efficacem orationem virtualem quae, etiam expresse exhibita, Deo esset gratissima, ac si diceret : Domine, nescio in primis, an tu sis aut vero daemon ; tum, dato quod scirem, supplex te deprecarer, ne me vilissimum vermem sic visites, sed recedas a me, quia homo peccator sum ; nolo hic mercedem, sed laborem ; nolo visionem, sed fidem ; nolo in hac lacrimarum valle triumphum et gloriam, sed ignominiam ; nolo te imitari in coelo gloriosum, sed in cruce pendentem. Haec solida et profunda humilitas in primis est securissimum praesidium contra daemonem, cui valde displicet, qui valde per eam irritatur, nec potest se continere, quin aperta signa det nequitiae suae. Quin et ipse Deus

charissimam habet humilitatem eaque plurimum delectatur ; superbis enim resistit, humilibus autem dat gratiam. Igitur, si sit bonus spiritus, vel recedet vel cessabit, ut satisfaciat his precibus : et hoc non inaniter nec frustra, nam obtulisse supernaturalia fuit tentatio ac probatio magna virtutis ; humilitas autem in repulsa est omnium virtutum fundamentum et basis : recedit igitur cum augmento magno virtutum ; immo nulli dubium est, Deum non raro haec immittere ut tentet, utrum vani ac superbi, an vere humiles simus ; cessareque merito a tentatione, cum virtutis victoriam et augmentum ex ea reportamus. Quod si persistet in iisdem illustrationibus, optimum erit signum boni spiritus.

Tum si quis petat post primam repulsam et probationem, qualem descripsimus, an expediat eis consentire, et consortium hujusmodi admittere ; vel quid sit tunc agendum ?

Respondemus : diu ac perseveranter in prima humilitate esse persistendum : semper enim magis placet Deo humilitas, nec unquam est deserenda.

At subjunget aliquis servandam quidem esse humilitatem et simul etiam accipiendam esse divinam benedictionem : sic enim Sanctos fecisse legimus ; quod si indignitate nostra commoti, dona Dei recusamus, miseri ac omnibus bonis nudi semper erimus. Quid majus ac divinius Christo ipso Domino in Eucharistia ad nos veniente ? coram quo nonne jubet Ecclesia, ut dicamus : *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum*, quod ad humilitatem refertur ; simul autem praecipit, ut eum hospitio in corde et in visceribus excipiamus.

Ad haec dicimus, non esse dona haec ad sanctitatem promovendam aut conservandam per se ordinata, sicut et sacramenta et alia multa ; immo in illis gravissima

latere pericula. Tum post primas repulsas, quamvis soleat daemon saepe se prodere, experientia tamen magistra, novimus non raro eum dissimulare, ac si esset bonus spiritus, laudare illam submissionem, et hortari ad excipiendas coelestes gratias, ne Deo ingrati immo rebelles videamur ; qua arte, nisi quis sit valde cautus, tam tenaciter falletur, ut ab errore vix unquam postea liberari possit. Quod si demus etiam esse spiritum bonum, qui post humilitatis initium ad aliquem veniat, periculum nihilominus est magnum, ne in progressu se daemon illi immisceat, cum scilicet videat animam adhaerere firmiter, et credere hujusmodi spiritui, facitque hoc tam latenter ac fraudulenter, ut vix a bono et sancto discerni possit. Cum igitur nunquam cesset periculum simile primo, nunquam securus erit homo, nisi ex intima cordis submissione semper ac vehementer resistat, et quidquid extra legem ordinariam illi occurrat, pro viribus a se repellere conetur ; critque hoc semper Deo gratissimum. Et, cum in his mentis elevationibus anima divina potius patiatur quam agat, facillimum erit Deo, etiam invitam et ex humilitate renuentem, trahere quocumque volet, et in sublimia rapere ; et quamvis tunc bonus ac divinus spiritus certam eam reddat veritatis ac sanctitatis, cum scilicet divinis illustrationibus afficitur, etiam illis sublatis quietem ac securitatem maximam sentiet, si ad pristinam suam humilitatem, immo et profundiorem redeat ; nihil curet aut desideret hujusmodi elevationes, sed studium totum suum in mortificatione et cruce Domini, ac solidarum virtutum acquisitione collocet, reliqua omnia rejiciat quantum in se est : nam, si a Deo erunt, semper crescent, et in illis semper etiam magis Domino placebit.

Et hic sit finis totius hujus materiae de spirituum discretione, necnon et Commentariorum in libellum Exercitiorum S. Patris Ignatii.

Nam ea praecepta, quae omissa sunt a nobis, alibi explicantur : de temperando nimirum victu et de eleemosynis distribuendis in sexto gradu nostrae *Disciplinae*, de scrupulis in primo et de doctrina catholica in sexto item gradu, ubi agimus de fide.

At quum tractatio illa nostra fusa nimis quibusdam videri posset et difficilior, quam ut omnes sacerdotes animarum instructores apti sint intelligere et in praxi exercere, visum est hoc veluti compendium totius operis illius brevissimum ac facillimum exhibere ; tum modum ac praxim adjungere, qua, qui de Societate sunt, uti possint ad Exercitia spiritualia S. P. Ignatii in se ipsis non solum frequenter excipienda, sed tota vita continuanda, ut deinde aliis magno cum fructu ea possint exhibere.

FINIS.

EMENDANDA.

Pag.	10,	lin.	27, *pro* contineat,	*lege*	contineant.
»	43,	»	9, » quam,	»	quem.
»	58,	»	19, » repletur,	»	repleatur.
»	61,	»	3, » *qua*,	»	*quo*.
»	70,	»	26, » subjicerentur,	»	subjiciantur.
»	95,	»	6, » cum,	»	eum.
»	102,	»	29, *post* nempe, *dele comma*.		

INDEX RERUM.

Pag.

Praefatio editoris III

Prooemium auctoris.

§ I. De libro Exercitiorum. 1
§ II. De peritia adhibenda ad librum Exercitiorum intelligendum.... 3

De oratione.

CAPUT I. — *De praeparatione ad orationem*... 8

§ I. De pio desiderio... 8
§ II. De animi collectione praevia. 8
§ III. De praeparatione magis propinqua. ... 10
§ IV. De praeparatione proxima... 11
§ V. De praeludiis. 14

CAPUT II. — *De meditatione*... 15

§ I. Quae potentiae exercendae et quo ordine? 15
§ II. De *applicatione sensuum*. 22
§ III. De actibus nonnullis altioribus... 24

CAPUT III.— *De colloquio et actibus ejus*. ... 28

De Examine.

§ I. Examinis natura... 33
§ II. Ejusdem rectus usus.... 34
§ III. Examen triplex... 36

De requisitis in dante et in suscipiente Exercitia.

§ I. Aptitudo. 38
§ II. Prudentia dantis; sinceritas excipientis... 40
§ III. Ratio docendi et discendi... 44
§ IV. Moderamen servandum. 46

Pag.

De praeparatione ad Exercitia spiritualia.

§ I. Praeparatio animi. 52
§ II. De recessu et horarum distributione varia. 54
§ III. De instructione... 56
§ IV. De dandis et explicandis exercitiis... ... 61
§ V. De collatione spirituali 65

Explicatio primae Hebdomadae.

§ I. De prima Hebdomada generatim. 67
§ II. De principio et fundamento. 68
§ III. De exercitiis primae Hebdomadae... ... 72

Explicatio secundae Hebdomadae.

§ I. De Regno Christi. 77
§ II. De duobus vexillis. 79
§ III. De triplici hominum classe. 84
§ IV. De tribus modis humilitatis. 85
§ V. De reliquis exercitiis hujus Hebdomadae. 86

De electione.

§ I. Electionis materia. 92
§ II. Forma.... 93
§ III. Methodus. 94

Explicatio tertiae et quartae Hebdomadae.

Contemplatio ad amorem spiritualem. 100

De discretione spirituum.

Praenotanda. 107

CAPUT I. — *De priore discretione*... 109

§ I. Hujus discretionis sensus... 110
§ II. Ejusdem signa. 112
§ III. Varia consideranda. 113

Pag.

CAPUT II.— *Altera discretio juxta regulas primae Hebdomadae.* 114

§ I. Principium primum... 115
§ II. Principium secundum... 122

CAPUT III. — *De consolatione et desolatione spirituali...* 130

§ I. Utriusque divisio.. 133
§ II. Causae... 135
§ III. Signa quibus discernantur... 137
§ IV. Praecepta servanda in singulis... 140

CAPUT IV.— *De pleniore discretione per regulas secundae Hebdomadae...* 153

§ I. Duplex spiritualis consolationis genus. ... 154
§ II. Daemon in angelum lucis transfiguratur... 156
§ III. Modus quo daemon ad malum deducit... 158
§ IV. Progressus ac finis diabolicae fraudis. ... 161

CAPUT V. — *Variae illusionum species ac remedia.*... 162

§ I. De illusionibus voluntatis sub specie commodi... 166
§ II. Sub specie delectationis. 169
§ III. Sub specie honoris. 173
§ IV. Remedia. 177

CAPUT VI.— *De illusionibus intellectus.* ... 182

§ I. Fallaciae daemonis. 182
§ II. Remedia. 189

060.32
G 121

GAGLIARDI, ACHILLES 40028
AUTHOR

Commentarii seu Explanationes in
TITLE Exercitia Spiritualia

DATE LOANED	BORROWER'S NAME
	Schlatter
	Sheerin
	Meyer
	Callen
	Broad

STORAGE

40028